SVMMARIVM RATIONVM, QVIBVS CANCELLARIVS ANGLIÆ ET PROLOCVTOR PVCKERINGIUS Elizabethæ Angliæ Reginæ perſuaſerunt occidendam eſſe ſereniſſimam Principem Mariam Stuartam Scotiæ Reginam & Iacobi ſexti Scotorum Regis matrem:

VNA CVM RESPONSIONIBVS REGINÆ ANGLIÆ ET SENTENTIA mortis.

QVÆ OMNIA ANGLICE PRIMVM EDITA SVNT, ET LONDINI A TYPOGRAPHO REGIO IMpreſſa, ac deinde varias in linguas tranſlata:

HIS ADDITVM EST SVPPLICIVM & mors Reginæ Scotiæ, vna cum ſuccinctis quibuſdam animaduerſionibus, & confutationibus eorum, quæ ei obiecta ſunt.

OPERA ROMOALDI SCOTI.

COLONIÆ

Sumptibus PETRI HENNINGII, Bibliopolæ Colonienſis.

ANNO M. DC. XXVII.

2
Bibliot. Secr. Coll. Rom. Soc. Iesu
BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

COMPENDIVM SVPPLICATIONIS, QVAM CANCELLARIVS ANGLIÆ NOMIME SENATVS, Populiq́ue Anglicani obtulit Reginæ Angliæ, pro internecione Sereniſſimę Mariæ Stuartæ Reginæ Scotiæ, &c.

Vnàcum confutatione eorum, quæ Reginæ Scotiæ obiecta fuerunt.

CANCELL.

SENATVM A populumq́; Anglicanum, multo iam tempore, intolerabili quodam ſenſu doloris percepiſſe, Reginam Scotiæ varijs quibuſdam ac multiplicibus B machinationibus vltimum intentaſſe maieſtati veſtræ exitium, (in cuius tamen vita & ſecuritate ſecundum Deum, ſuam ipſi ſalutem eſſe poſitam agnoſcunt) atque hinc illam, non id modò agere, vt ſinceram ijs verámq́; religionem, quam à multis retrò annis & profeſſi ſunt, & vſu corroborâuerunt, eripiat; verùm etiam, vt règnum hoc nobiliſſimum in miſerrimam Romani Pontificis tyrannidem redigat.

CONFVTAT.

A *Quis ille Senatus populusq́;, qui in parlamentum hoc Anglicanum coierit, alij ſuo tempore explicabunt; nobis oſtendiſſe ſatis eſt, in ſuperiore domo (quam*

vocant) conueniſſe inprimis Superintendentes plurimos homines Caluino & Beza plenos, crudeles & immanes; deinde proceres quoſdam Laicos, homines nouos, & nuper ex humili euectos, indoctos, incultos, & ad omnes Leceſtrij voluntates mancipiorum inſtar flexiles. In domo verò inferiore, iuuenes quoſdam & imperitos nobiles, qui toti regebantur à Iuriſperitu quibuſdam factioſis, ex familia Puritanorum & cæterarum furiarum electos; qui vt nulla ſunt obſtricti fide aut religione, ita nullum ſcelus tam graue eſt, quod non committere velint & nuſint, ſuam modò libertatem Caluinianam retineant & conſeruent. Vera interim & antiqua nobilitate, vel crudeliſſimè in carceribus & foris extincta, vel miſerè in exilium acta, vel domi in ſeruitutem pluſquàm Ægyptiacam addicta. B *De machinationibus, quas obijcitis Reginæ Scotiæ, poſtea; interim velim aduertat Lector ſecundam cauſam necis præſtantiſſimæ fœminæ promi, quòd non voluerit impium & Turcicum amplecti Caluiniſmum, à multis retrò, id eſt, triginta aut circiter annis in orbem ab homine impuriſſimo inuectum.* C *Quaſi verò Caluini ſeruitia ſumma fœlicitate florere poſſint. Sed Hollandi, Zelandi, Angli & Scoti, qui ſummam huius ſectæ crudelitatem, ſuorumq; Superintendentium ac procerum immanem barbariem ſunt experti; didicerunt tandem fœliciſſimos eſſe illos populos, qui ſub ſuaui Chriſti iugo in vnitate Eccleſiæ Catholicæ ac Romani Pontificis obedientia vitam degunt.*

CANCELL.

D Quas machinationes tametſi ſua maieſtas (non obſtante frequenti & enixa Senatus populique Anglicani in varijs comitijs exhibita ſupplicatione) pro inſita D clementia & heroici animi magnitudine, aut leniter hactenus diſſimularit, aut rara indulgentia ſuſtinuerit; E nec non Reginæ Scotiæ perſonam aduerſus violentam ſubditorum ipſius perſecutionem defende-

fenderit; F illam tamen ceu malitia duratam, ſuſceptis olim machinationibus finem modúmue necdum ſtatuiſſe. Id quod nuper ex nefarijs quibuſdam Antonij Babingtonij, aliorumq́ue deploratæ ſortis hominum coniurationibus patuerit; qui fœdere quodam conſociati, ſacramentis atque immani iureiurando ſeſe aſtrinxerint, maieſtatem ſuam vt è medio tollerent. (Hoc tam verum eſt, quàm fuerit altera fabula ſparſa per varias literas in aulis Principum externorum, ſcilicet Ducem Guiſianum tunc temporis cum 30. nauibus & aliquot millibus Gallorum viſum fuiſſe in mari Britannico, vt Angliam inuaderet, dum hæc coniuratio eſſet executioni mandanda:) qua in coniuratione, Reginam Scotiæ non modò conſilio improbis præſtò fuiſſe, ſed in perficiendis ceptis direxiſſe, confirmaſſe, atque adeò precibus & præmijs incitaſſe.

CONFVTAT.

D. *Quæ ſit ea clementia & ſingularis Reginæ veſtræ facilitas, inſignis nimirum crudelitas à vobis ſub eius nomine exercita in ciues innocentiſſimos, nulla vel ætatis, vel ſexus commiſeratione, ſatis iam orbi terrarum, ad perpetuum nominis veſtri dedecus innotuit, & ex libris doctiſſimis Sanderi, aliorumq́; ciuium veſtrorum perſpici clariùs poteſt: quibus ſanè hactenus ne Gry quidem reſpondetis; ita fortè pudet clementiæ ac iuſtitiæ vos Britannicæ.* E *Egregiè ſanè illam defendiſtis contra violentam ſubditorum ipſius perſecutionem, onerando ſcilicet eam vinculis, ac nouendecim continuis annis contra omne ius & æquitatem arcta cuſtodia premendo. Hanc certè defendendi rationem crediderim equidem vos à Turcis (quibuſcum magnum intercedit vobis commercium) ac Tartaris accepiſſe, vt alia multa religionis veſtræ myſteria ex ijs oris ſunt in Inſulam veſtram, vnà cũ mercibus & captis pecuniis importata.* F *Valdè improbabile eſt*

mulierem vinculis tyrannidis veſtræ conſtrictam, & frequenti exploratorum multitudine ſeptam, potuiſſe multa moliri aut machinari in Reginam veſtram. At Babingtonius & alij ſimiles iuramento ſe obſtrinxerunt, vt Reginam veſtram è medio tollerent, atque huic coniurationi ipſa Regina Scotiæ impensè fauit. Vnde quæſo hoc docetis? cur non emittitis in lucem coniurationis acta, cauſſæ totius fundamenta, delationes, teſtes, ipſamq; confeſſionem? reducite vela, & forum veſtrum, ſi æquitati & iuſtitiæ pateat, etiam mundum teſtem & iudicem non reformidet. Negat factum Regina Scotiæ, & ad tribunal Chriſti vos omnes immani & barbara crudelitate præferoces vocat. Vos contrà Babingtonium nominatis, literas more veſtro fictas profertis, quas ſola poteſtu auctoritate veſtra confirmare: ſed de his poſteà.

CANCELL.

G Hinc factum nimirum, vt literis magno ſigillo Angliæ obſignatis, ſua maieſtas diuerſis regni proceribus, qui comitijs præſentes interfuerunt, viris ſcilicet ſummæ & antiquiſſimæ nobilitatis atque ordinis, vnà cum præcipuis regni iudicibus, poteſtatem fecerit cauſam audiendi, examinandi, & definiendi, ſeu ſententiam pronunciandi, iuxta formam edicti in hunc finem editi anno 27. regni ſuæ maieſtatis. Hos ergò numero triginta ſex, poſtquàm diligenter cauſam prædictam ſecundùm literas Regiæ maieſtatis cognouerint, & alijs atque alijs temporibus, quæ ipſi Reginæ Scotiæ coram obiecta, H & quæ facta poteſtate, purgandi cauſa ab ea liberè allata ſunt, audiuerint, vnanimi conſenſu inueniſſe & iudicaſſe, Scotiæ Reginam non grauiſſimi modò criminis manifeſtam, quòd coniuratis aſſenſerit, ſed quod Regiæ maieſtati quoque machinata ſit interitum.

CONFV-

CONFVTAT.

G *Si procerum veſtrorum edidiſſetis nomina, de eorum forſitan antiquiſſima nobilitate & dignitatis gradu aliquid dixiſſemus: interim contenti hîc monuiſſe, vera & antiquæ nobilitatis proceres inter vos rariſſimos eſſe. Tales enim non patitur vrſus veſter Leceſtrius & catuli eius. De nobilitate Leceſtrij veſtri fratrisq́; eius nihil dicam, cùm generis illius probra, atque pudenda origo, ſatis ſuperq́ue depicta ſit in variis libris Latinè, Gallicè, Anglicè, atque Germanicè de heroicis eius virtutibus editis; nec de Theſaurarij veſtri & Cancellarij antiquis imaginibus verba faciam, cùm notum ſit toti Angliæ eos abiectiſſimos, & ſordidos fuiſſe homunciones, quamuis modò ſummi apud vos nominis ſint proceres. Ex hac facilè ſumma, prudens lector deducet, quales ſint reliqui veſtri minorum gentium proceres, quæ eorum elogia; quorum auctoritas tota huiuſmodi antiquæ nobilitatis heroibus nititur. Deinde quàm iniquè, ne dicam impiè egeritis in cauſa Reginæ Scotiæ, inde patet primùm; quòd illam auſi fueritis iudicare; quæ nec vobis, nec Reginæ veſtræ ſubiecta fuerit; cùm Regina non minor, imò maior illa, & meliùs nata fuerit, æqualis poteſtate, & dignitate par. Secundò verò, quod Regina veſtra pro iudice ſe geſſerit ſuprema, cùm tamen actrix eſſet in cauſa iniuſtiſſima: Tertiò quòd illos iudices conſtituerit vitæ & necis Reginæ optimæ, qui iurati eius hoſtes ſemper fuerint, eiusq́; necem apud parlamentarios veſtros proceres vnicè ſolicitauerint, vt Cancellarius, Theſaurarius, Comes Waruuicenius frater Leceſtrij; Franciſcus Knoles, Iacobus Craft, Chriſtoforus Hattonus, Middelmaius, Sadlerus, Walſingamus, mancipia Leceſtrij & Theſaurarij, & Puckeringius cum Puritanis & nullius fidei, multis alijs. Quartò & poſtremò, quòd omnis veſtra inquiſitio & procedendi ratio ſecundùm literas Reginæ veſtræ fuerit inſtituenda.* H *Si libera facta fuit poteſtas*

Reginæ Scotiæ ſe purgandi, ſuamq́; innocentiam defendendi, cur non permiſiſtis ad Principes reliquos Chriſtianos appellantem cauſæ ius cognitionem referre? cur vſque ad mortem conſtantiſſimè hanc coniurationem inficiantem, contra omnes leges & iura trucidaſtis?

CANCELL.

1 Quam ſanè ſententiam ex arbitrio maieſtatis ſuæ, audita prius teſtium denunciatione, & explorata totius actionis intentione, comitijs publicis iudicatam fuiſſe honoratiſſimam & æquiſſimam.

CONFVTAT.

1 *De teſtibus veſtris licet illud dicere, quod ſacra litera de ſimilibus in cauſa eius, pro cuius religione ac fide Regina Scotiæ à vobis interempta eſt, poſteris tradiderunt.*

Matth. 26 Marc. 14. Principes autem Sacerdotum & omne conſilium quærebant falſum teſtimonium aduerſus Ieſum, vt eum morti traderent, & non inueniebant, cũ multi falſi teſtes acceſſiſſent. Multi enim falſum teſtimonium dicebant aduerſus eum, & conuenientia teſtimonia non erant. Nouiſſimè autem venerunt duo falſi teſtes, & ſurgentes, falſum teſtimonium ferebant aduerſus eum. *Nec mirũ ſanè vos in cauſa tam vobis vtili, & furenti Synagogæ veſtræ percommoda, teſtes inueniſſe perfidos, vt Reginam Catholicam (quæ, ſi ad coronam perueniſſet, veſtram perfidiam eliminaſſet) è medio tolleretis, qui in re minoris momenti, homines ſceleratiſſimos produxiſtis, Mundaum ſcilicet, Ioannem Nicolaum, Eliotum, Sledeum, &c. qui ea crimina ſanctis Dei martyribus Campiano, Sheruino, Brianto, Iacobo Fenno, & ſociis affinxerunt, quæ ipſa deinde tribunalia veſtra exhorruerunt, & cum ſempiterna ignominia iam nunc*

nunc teſtantur fuiſſe falſiſſima. Sic nimirum, ſic decuit religionem veſtram Caluinianam mendaciis & vanitate ſecus inſtitutam, & Patriarchæ veſtri Caluini furore atque amentia in ciuitate Geneuenſi ſancitam, in Anglia demũ, Principis nobiliſſimæ ſanguine crudeliter fuſo conſeruari atque propagari. *Hiero. Bolſec. in vita Caluini.*

CANCELL.

K Quapropter ordines vniuerſos aduolutos genibus S. maieſtatis precibus quàm poſſint infimis obteſtari, vt quoniam Regina Scotiæ vnicum ſemper extiterit, & etiamnum ſit adminiculum ſiue fulcimentum, quo periculoſiſſimæ iſtæ hominum facinoroſorum machinationes, quas contra maieſtatem regiam, procerum ſalutem, & ipſam Chriſti religionem inſtituunt, nitantur; neque vlla interim ſpes melior affulgeat ſeruandæ ſuæ maieſtatis, ob aſſiduas dictæ Reginæ & clientum ipſius molitiones, niſi pendere perpetuò ab admiranda quadam fraudum & coniurationum patefactione placeat: obteſtari, inquam, ordines & ardentiſſimis precibus contendere, tùm ob diuini cultus & religionis conſeruationem; L tùm etiam ob ſuæ maieſtatis ſecuritatem, & procerum ac ſubditorum & vniuerſæ poſteritatis incolumitatem, vt ſua maieſtas ſententiam enunciare in publicum, atque de vniuerſa cauſa regali auctoritate id ſtatuere, quod & delicti grauitas & parlamenti edictum poſtulant, non dedignetur.

CONFVTAT.

K *Quia Catholici Angli atq; Scoti ſperabant per Reginam Scotiæ poſſe aliquando religionem verè Catholicam atq; Chriſtianam in vtroq; regno reſtitui; ideò Puritanis viſum eſt innocentiſſimam Reginam è medio tollere; ne ſcilicet Catholici afflicti ſpem vllam in poſterum reſtituendæ fidei Romanæ haberent. Ea ſcilicet Anglicanæ Puri-*

tanorum vires ſunt, vt etiam ipſum Deum, vnicum, quo res Catholicorum nituntur, fundamentum, conuellere poſſint. Enimuerò contendite, quantum maleficio poteſtis, omnis ad nihilum veſter recidet labor; incitate vos mutuò, & aduerſus inuicta Catholicæ veritatis præſidia armate miniſtros veſtros; experiemini demùm, vt interrita vis veritatis, non, ſi dæmones impetum faciant, ſit relatura pedem, ſed vbicunque ſe hoſtis inferet, illic parata fore præſidia. Deus enim, Deus ipſe eſt, qui patientiam ſanctiſſimæ Reginæ Scotiæ, & inuictum animi robur cæteris nobiliſſimis injuria veſtra martyribus, ad omnia veſtra tormenta fortiter excipienda contulit; & idem ſuo tempore animos illis addet, quorum intereſt, vt matura conſilia diſpiciant, & euertere Puritaniſmum, Machiauellianiſmū & Atheiſmum veſtrum aggrediantur. L *Timent ſalaciſſimi atque profunda libidine Superintendentes & miniſtelli verbi Caluiniani, ne poſteritas profana ex genere Sacerdotali prognata, quæ non niſi decretis & auctoritate Parlamenti cenſeri legitima conſueuit, ne reſtituta ſcilicet Catholica fide, ad pœnas Eccleſiaſticis ſanctionibus decretas, filij ſpurij & ſcorta ſacerdotum & monachorum apoſtatarum reuocentur.*

CANCELL.

M Quod ſi maieſtas ſua ſolita vſa clementia in hoc negotio remiſſiùs agere, & animaduerſionem vel differre vel impedire pergat, tum præter impendentis illi periculi magnitudinem, grauem manere Dei Opt. indignationem, quod ex varijs iuſtitiæ diuinæ exemplis, quæ ſacris literis produntur, palam fiat.

CONFVTAT.

M *Quando vulpes agit concionatorem, tempus eſt vt omnes ſibi caueant. Demonſtrandum tibi, bone vir, iuſtis argumentis fuiſſet, in poteſtate veſtra Reginæ eſſe optimam Reginam Scotiæ gladio interimere; hancque iuſtè ſupplicium meruiſſe, vt iam nunc ſine timore vindictæ diuinæ viuere,*

uere illi vltrà haud liceret. Sed benè habet. Voluiſti enim, credo, Principes docere Catholicos, quidnam agere vobiſcum oporteat, ſi quando in eorum veneritis poteſtatem, vt ſcilicet cruentos Caluinianæ belluæ catulos viuere diutiùs non patiantur, ſi diuinam modò vindictam effugere cupiant, id quod experitur nunc temporis verè Catholicus Rex Philippus, cum multis aliis; qui ſi illis mediis hæreſim eliminaſſent olim, quibus vos modò Catholicam fidem euertere conamini, iam hanc diuinæ vindictæ ſeueritatem in Belgio & aliis prouinciis non ſenſiſſent. & ſi perinde Principes, proceres ac populus Anglicanus tempore ſereniſſimæ Principis Mariæ, vrſos veſtros & efferas vulpes è medio ſuſtuliſſent, (cùm id non ficto aut ſimulato iure vt vos, ſed per ſummum fas iusq́; potuiſſent) iam non ſummam rerum tenuiſſent Leceſtrius, Sicilius ac Walſingamus, aliaq́; infinita turba ſimilium procerum, qui domi ſanguinem innocentum fundunt, proceres Catholicos crudeliſſimè necant, ſeu vinculis conficiunt ſine vlla miſericordia aut commiſeratione; foris inſidias principibus ſtruunt, ſubditos eorum ad rebellionem excitant, & per latrones ſuos maritimos omnia infeſtis armis perturbant. Quæ ſi ſigna non ſunt vltionis & vindictæ diuinæ in eos Catholicos, qui huiuſmodi Reipub. peſtibus pepercerunt, fateor me neſcire quæ ſigna dari poſſint.

CANCELL.

His peroratis Cancellarius Reginæ tradidit ſupplicationem ſcriptam, & omnes ordines parlamenti, habita diligẽti anteà deliberatione, eidem aſſenſum præbuiſſe confirmauit.

CONFVTAT.

Non ſatis erat ad hoc tam immane facinus paucos quoſdam perditos & perfidos homines conſenſum præbuiſſe, niſi etiam omnes parlamenti veſtri ſeu regni ordines in ſanguine innocentiſſimæ Reginæ crudeles manus lauarent, ac cum

ac cum impiis Iudæis, ſi non verbis, ſaltem facto clamarêt: Sanguis eius ſuper nos & ſuper filios noſtros.

SVMMARIVM RATIONVM, QVIBVS Aduocatus Puckeringius Prolocutor inferioris aulæ ſeu conſeſſus Parlamenti, poſuit ob oculos Regiæ maieſtati pericula apparentia & imminentia ſuæ perſonæ regali & regno vniuerſo à Regina Scotiæ, eiq; adhærentibus, niſi maturè proſpiciatur; Richimundiæ Anno 1586. 12. Nouembris.

Vnà cum examine & explicatione earundem.

Rationes ductæ à Perſona Reginæ Angliæ.

PVCK.

TAM Regina ipſa Scotiæ, quàm fautores eius exiſtimant, iuſto eam titulo non modò ſuccedere maieſtati veſtræ, ſed etiamnùm occupare coronam veſtram poſſe; ac proinde, vt honoris æmula moras neſcit, ita nihil non tentabit, quo nos regnûque priuet perſona maieſtatis veſtræ, vt quam vnam obſiſtere ſibi non ignorat, quo minùs, id quod vult, adipiſcatur.

CONFVTAT.

Vt quàm ſubtilis harum rationum collectio ſit, planum fiat, ſimulq; profundum viri Puritani ſeu Machiauelliani acumen peruideatur, operæ pretium duxi ratiocinationum enuntiata cogere in aciem, eaq;, quid quantumq; valeant periclitari, atque tentare etiam, num translatus ſignis

gnis duci in amicum agmen infeſta queant. Quod ſanè factu difficile non erit, oſtendere nimirum ex hiſce ipſis rationibus effici, Elizabetham Angliæ Reginam, eiusq; proceres, multò quàm Mariam Scotiæ Reginam magis, non dico ſuppliciis, morti, ſed omnibus extremis malis obnoxiam. Sic igitur ſe inſtituit Prolocutor. Regina Scotiæ, vt & Catholici omnes, hæredem ſe exiſtimat Angliæ, & iam nunc poſſe regnum occupare, ſi vires haberet; ergo occidenda eſt. Quid hic criminis vides, ô caput ſceleſtum? Nonné poterat Regina Scotiæ ſe exiſtimare hæredem Angliæ, cùm talis fuerit? an crimen ſtatim erit capitale, cogitare modò ſe poſſe regnum iuſtè occupare? Crediderim apud vos, qui non in corpora, ſed etiam in animos & mentes ſubditorum crudeliſſimam tyrannidem hactenus exercuiſtis, ſcelus eſſe morte luendum, contra veſtram tyrannidem aliquid cogitare; non autem perinde crimen cenſetur vobis, principes alios iniuſtè, ceu victimas mactare, alios ceu pecora paſtores ſedibus expellere. Nonné eodem modo argumentari licuiſſet Catholicis tempore ſereniſſimæ Reginæ Mariæ, & concluſionem practicam cum carnificis ſecuri inferre Reginæ veſtræ ceruicibus, ſi voluiſſent? Atqui fortè illis hoc vt facerent, neque animum defuiſſe, neque conſilia, reſpondeas, ni Philippus Rex impedimentum attuliſſet. Sed ignoras hac reſponſione tibi tuisq; omnibus extremæ barbariei notam inuri. Potuit vel vnus Rex Catholicus tantum apud Catholicam Principem efficere, vt vitam & dignitatem daret ſorori ex æmula matris ſuæ natæ (propter quam & ipſa, & mater ſua, fœmina & nobiliſſimo loco nata, & excellentiſſimis virtutibus prædita, ſummam paſſæ fuerant iniuriam) & ſubditæ ambienti coronam capitis ſui; & non potuit Rex Franciæ Chriſtianiſſimus, non potuit Rex Scotiæ filius præſtantiſſimæ Reginæ, & fautor Synagogæ veſtræ Caluinianæ non poſtremus, non potuerunt denique proceres Caluiniani Scoti impetrare vitam, non ſorori ex æmula matris natæ, non ſubditæ, non reæ mortis ob crimina varia nota & manifeſta, ſed Reginæ Scotiæ,

Reginæ Franciæ, Regis & filiæ, & vxori, & matri, æquali & pari, imò maiori Reginæ veſtræ, nulliſq; legibus, nulloq; iure illi ſubiectæ? Ad hæc ſi ex rationibus iſtis aliquid efficis, quid impedit, quo minus & ſereniſſimum Regem Scotiæ, & Catholicum Regem Hiſpaniæ occidatis, cum vtrumq; hæredem eſſe Angliæ optimóq; iure poſſe regnum occupare omnes Catholici fateantur, & leges Angliæ non prohibeant? Quin & Elizabetha Regina veſtra iure ſe optimo exiſtimat Dominam eſſe Hollandiæ atque Zelandiæ cæterarumq; prouinciarum vnitarum; & eárum poſſeſſionem, viuente vero Dómino Rege Catholico, ſibi vſurpauit, poſtquam ſubditos plurimis annis flamma, ferro, & omni genere telorum in Principem ſuum armaſſet; vnde Elizabetham à ſicario aliquo ſiue carnifice (quod perinde ſit) iuſtiſſimè occidi poſſe & debere, conſequens eſt. Vos videritis quid ex placitis veſtris Puritanis & Machiauellanis ad hæc reſpondendum ſit; atque interim deliberabunt Principes verè Chriſtiani atque Catholici, quid illis ex lege veſtra, de vobis ſtatuendum erit.

Regina Scotiæ (vt volunt Caluiniani Angli) deficiēte filio ſuo Iacobo Rege Scotiæ, hæredem Angliæ conſtituit Regem Catholicū, qui in re ſanguinis verus hæres eſt; ac proinde morte mulctatur.

P V C K.

2. Ad hæc, longo iam vſu odio atque improbitatè contra perſonam veſtram Regalem animum indurauit, tametſi maieſtas veſtra tùm in regno eius confirmando, tùm etiam vita atque dignitate tuenda nullo non illam hactenus fauore & miſericordia proſecuta ſit. Quapropter nullus iam vltra miſericordiæ locus eſſe debet, cùm eam aliquando ab ſceleſtis hiſce conatibus receſſuram, nulla vel exigua ſpes appareat, præſertim cùm animum ita obfirmauit, vt etiam teſtamēto ſuo his de rebus mandata complecti, & executoribus dare auſa fuerit.

CONFVTAT.

Reginam Scotiæ (inquit Prolocutor) tametſi multis beneficiis fuerit à Regina Angliæ affecta, exigua ſpes eſt

velle

uiſſe à conatibus ſuis deſiſtere, cùm etiam in teſtamento ſuo hu de rebus mandata complecti & executoribus dare auſa fuerit: quare, iure an iniuria, omninò extinguenda eſt. Quoniam verò mentionem frequentem miſericordiæ & beneficiorum Reginæ veſtræ in Reginam Scotiæ, & tu & ſocij tui facitis, vt optimam principem in odium traducas, ego paucis recenſebo beneficia, quæ in illam contulit Princeps veſtra, vt vel ſic videatis, ſi oculos ſaltem habetis, non defuiſſe Reginæ Scotiæ iuſtam cauſam conquerendi de inhumanitate veſtra, & ſimul ſeipſam ex ſeruitute ac tyrannide veſtra eripiendi, atque adeò iniuriam acceptam vlciſcendi. Primum itaque beneficium hoc erat, quòd Regina veſtra, & conſiliarij eius Caluiniani, proceres Scotiæ eiuſdem ſecum perfidiæ incitauit ad religionis mutationem in Scotia, atq; ad templorum & monaſteriorum euerſionem; adeò vt vix Reginæ ſuæ permitterent ſacrum vt audiret in ſacello ſecreto. I.

Beneficia Reginæ Angliæ collata Reginæ Scotiæ.

2. quòd Gallos omnis præſidiarios, in quibus vnica ſpes erat conſeruandæ religionis & auctoritatis Regiæ, ex Scotia expulerint, ad quod præclarum opus perficiendum, ipſa veſtra Regina exercitum ſuum in Scotiam miſit, qui omnia flammis & ferro vaſtaret. II.

3. conati ſunt illuſtriſſimo iuueni Henrico Stuarto (quem Regina Scotiæ in maritum adſciuerat) perſuadere, illam cum Secretario ſuo vitam duxiſſe, & etiamnũ ducere impuram; deinde ipſum Secretarium hominem ſenem ac grauem multis vulneribus confoſſum trucidarũt; & Reginam ipſam grauidam ſimul cum ſpe partus tollere de medio, ac puellas regias in profluentem proiectas demergere ſtatuerant. III.

4 regem poſteà ipſum crudeliſſimè occiderunt; & deinde rumorem ſparſerunt, Reginam cum Archiepiſcopo S. Andreæ fuiſſe Principem & machinatricem huius nefandi criminis. IV.

5. variis hæreticorum fraudibus circumuentam, & infinitis ferè calumniis oppreſſam, regiaq; dignitate ſpoliatam, cogebant proceres Caluiniani miſeram & infamẽ traducere in vinculis vitam, regnante interim & vices regis agente nefando proditore Iacobo V.

Morauiæ Comite & fratre Reginæ ſpurio. Et hæc quidem beneficia ſunt, quæ Catholiciſſima Regina Maria à ſorore ſua Anglicana accepit in regno eius firmando, ac vita & dignitate tuenda. Nam hæc omnia illi contigiſſe ex inſtinctu Reginæ Angliæ nemo dubitat, qui norit proceres iſtos Scotos in omnibus ſuis difficultatibus, ad aulam Anglicanam veluti ad aſylum confugiſſe, & inde militem, pecuniam, & cæterum apparatum bellicum contra Principem
VI. *ſuam ſemper habuiſſe. 6. beneficium eſt, quod ex vinculis mirabili Dei prouidentia liberata, & in Angliam ſuauiſſimis literis ſororis ſuauiſſimæ inuitata, in vincula denuò fuerit coniecta, in quibus nouendecim continuis egit*
VII. *annis vſque ad ſanctiſſimam eius mortem. 7. grauiſſimis criminibus adulterij & homicidij denuò à ſuis propriis proditoribus petita, nec permittebatur ad Principes exteros Chriſtianos appellare; nec vt ſubditi, qui eam accuſabant, & in aula Anglicana triumphabant, vinculis perinde ac ipſa concluderentur, donec crimina obiecta proba-*
VIII. *rent, impetrare potuit. 8. iudicio Principum Angliæ, quibus cauſa eius fuit ab Elizabetha commiſſa examinanda, declarata innocens, & immunis ab omni ſcelere obiecto, nec dum potuit à vinculis liberari, aut, vt in Franciam*
IX. *ſe conferret, facultatem à Regina veſtra impetrare. 9. in vinculis detenta non permittebatur ad ſuam & ſuorum conſolationem liberum habere vſum & exercitium Ca-*
X. *tholicæ religionis. 10. in vinculis priuata fuit omni communicatione cum Principibus externis, & ſanguine ſibi*
XI. *iunctis. 11. & vltimum eſt, quod coniurationis de nouo accuſata præter omne ius & æquitatem fuerit crudeliſſimè occiſa, etiamſi crimen ſibi obiectum negaret conſtantiſſimè. Et hæc de beneficiis collatis Reginæ Scotiæ à Principe veſtra, vt videant Chriſtiani non defuiſſe optimæ Principi Mariæ iuſtam occaſionem cogitandi de libertate acquirenda, & de ingratitudine, ac inhumanitate veſtra conquerendi. Nunc progredior, & contra Prolocutorem iſtum parum, vt videtur, oculatum ſic ineo rationem. Elizabe-*

lizabetham Angliæ Reginam, tametſi multis beneficiis à Regibus Catholicis & Chriſtianiſſimis fuerit affecta; exigua ſpes eſt velle ab impiis ſuis conatibus vnquàm deſiſtere; cùm non contenta totolim initiis aduerſus Catholicum Regem coniurationibus, breui etiam incendiarios ſuos in Hiſpaniam immiſerit; Leceſtrium, Hollandiæ ac Zelandiæ Gubernatorem conſtituerit; Hugonotos in Francia in Regem ſuum & Dominum concitarit; Scotos tam miniſtros verbi Caluiniani, quàm proceres factionis Anglicanæ, vt regem ſuum ipſi traderent, aut captiuum detinerent, Angelotis ſuis corruperit, ac deniq; ſanctiſſima ac innocentiſſima Regina Scotiæ iniuſtè trucidata, teſtamento Regnum Angliæ potentiſſimum à Regibus Scotiæ atq; Hiſpaniæ (quibus iure hæreditario competit) ad Leceſtrij aut ſimilium proles traducere ſtatuerit. Quare meritiſſimè ei; quæ ſanguine alieno hactenus luſit, ſanguis contrà eliciendus vel exprimendus erit. Quæ ſanè collectio, ſi in prima ratiocinatione quidquam effecit, infirmior certè non erit in poſteriore. At dices fortaſſe Reginam Scotiæ diuino nutu traditam eſſe in manus Elizabethæ, ac propterea illi ita fuiſſe ſubiectam, vt etiam potuerit ab ea occidi. Iſtud tibi quidem dicere integrum eſt, ſed quàm mala fide efficiam vt intelligas Siquidem notum eſt, Scotiæ Reginam à ſubditis propriis Caluinianis, conſilio & auxilio Reginæ veſtræ, per ſummum ſcelus ingenio Caluiniano oppreſſam, non ſemel & literis & verbis ab eadem in Angliam inuitatam, cum ampla promiſſione non ſolùm libertatis, ſed etiam in regnum reſtitutionis; & his blandimentis ſimplicem ac ſincerum afflictæ Principis animum eò flexum; vt in Angliam velut ad portum ſecurum confugeret. Cæterùm omnia ibi cum expectatione ſua poſtmodùm diſcrepare comperit; nam pro libertate regia, vincula ſeruilia; pro ope & auxilio, grauiores in vitam ſuam coniurationes, quàm in Scotia pati potuiſſet, experta eſt. Siquidem conſtat nouendecim hiſce continuis annis vos elaboraſſe, vt eam vel in Caluiniſmi fraudes induceretis, quo inſtru-

Athalia poterat etiam dicere omnē ſtirpem regiam quam occidit, in manus ſuas à Deo fuiſſe traditam. 2. Par. 22.

mentum aptum conſeruandi veſtram perfidiam naciſceremini, vel de medio tolleretis, ſi id facere recuſaret. Hinc laboratum etiam à vobis frequenter eſt, vt filium eius Regem Scotiæ, (corruptis regni proceribus & Superintendentibus Caluinianis auro veſtro Anglicano, & ſpe retinendi Caluiniſmum) in manibus veſtris haberetis, vt vtrumq; ſimul interimeretis, quo nullus deinceps ſupereſſet, qui nefariis veſtris conſiliis atq; improbis machinationibus fortiter obſiſteret. Sic tradita eſt Regina Scotiæ ſeu potius fraudibus inducta, vt veniret in manus veſtras, non vt ſubdita, ſed vt Regina libera, nec vt neci cum perpetuo nominis veſtri dedecore daretur, ſed vt in viuis cum laude veſtra ſempiterna conſeruaretur, regnoq; ſuo, è quo fraude veſtra pulſa fuit, reſtitueretur. Sed hanc veſtram fidem Turcicam à Turcis didiciſtis videlicet, quibuſcum arctiſſimis vinculis coniuncti eſtis; nec mirum ſanè, nam vt quidam è vobis dixit vix vllum eſt diſcrimen inter Turcas & Caluiniſtas, niſi quod illi paulò quàm hi ſint ſuperſtitioſiores, id eſt, paulò fortè humaniores, & ad pietatem propenſiores. Quod ad teſtamentum Reginæ Scotiæ attinet, quo ſparſiſtis illam Regem Hiſpaniarum conſtituiſſe hæredem Angliæ; ſi filius eius Rex Scotiæ vel ſine prole moreretur, vel ad Eccleſiæ Catholicæ vnitatem non rediret; id vnum dico, Regis Catholici, cui iure ſanguinis & Angliæ legibus debetur corona Angliæ, eſſe, hanc iniuriam ſibi illatam conſiderare, & ſanguinem innocentiſſimum ſui gratia fuſum vindicare, ne grauem diuinæ maieſtatis incurrere velit indignationem.

PVCK.

3. Audaciter & publicè profitetur licere ſibi inuadere regnum veſtrum, ac proinde vt ex inuaſione conſequi victoria, & ex victoria mors deuicti poteſt; ita illa hac ſua denunciatione non obſcurè indicat, id animo iam pridem ſedere, poſſe ſe & integrum eſſe ſacram veſtram perſonam vita expellere.

CONFVTAT.

Vana & friuola ſunt hæ repetitiones, & exaggerationes vnius & eiuſdem criminis anteà à nobis examinati: quare mutatis ſignis, oſtendemus in hac & in ſequentibus Prolocutoris vanitatem Elizabetha Regina Angliæ audacter profitetur licere ſibi inuadere prouincias regis Catholici, easq́; de facto inuaſit, ſeq́; Dominam & Principem earum vocat; ac proinde vt ex inuaſione conſequi victoria, & ex victoria mors deuicti poteſt; ita illa hac ſua inuaſione nòn obſcurè indicat, id animo iam pridem ſedere, poſſe ſe & integrum eſſe ſacram eius perſonam vita expellere, ergò Rex Catholicus iuſtiſſimam habet cauſam Reginam Angliæ per ſe vel ſuos è medio tollendi, regnumq́; eius & prouincias inuadendi. Adhæc, multa licere principibus abſolutis dicere atque profiteri circa ius ſuum ad regna & prouincias, nemo negare poteſt; vt tamen proptereà à ſicariis aut carnificibus occidendi ſint, maximè ſi vinculis ſunt conſtricti aduerſarij, nemo facilè dixerit. Principum ſiquidem non eſt, niſi Caluinianorum, carnifices adhibere cuſtodes corporum regum, aut carnificum manibus eorum committere ceruices amputandas.

PVCK.

4\. Exiſtimat præterea non ſolùm fas licitumq́;, ſed etiam pręmio & honore ſempiterno dignum, maieſtatem veſtram ſpoliare vita, vt quam ſanctiſſimi patris ſui anathemate confoſſam ſimul etiam regni corona priuatam autumat. Probabile vti fiat illam (quod hactenus adhuc fecit) omnibus id modis conari, vt maieſtatem veſtram tollat è medio.

CONFVTAT.

Exiſtimat præterea Regina Angliæ cum ſuis proceribus non ſolùm fas licitumq́;, ſed etiam premio & honore ſempiterno dignum, Regem Catholicum prouinciis ſuis

atque adeò vita, ſi poſſit, ſpoliare; quem impijſſimi Conſiſtorij Geneuenſis & Anglicani iudicio indignum autumant, qui populum Dei regat. Probabile vti ſiat illos, (quod hactenus adhuc fecerunt) omnibus id modis conari, vt pientiſſimum Regem Hiſpanis & toti terrarum orbi tollant; quemadmodum olim nobiliſſimum heroem Franciſcum Guiſianum Ducem occidi curarunt eorum patres ſpirituales Beza & reliqui miniſtri Bezani; & Angli ipſi Illuſtriſſimum Principem Ioannem Auſtriacum per ſuos ſicarios deſtinatos Namurci occidere attentarunt, ergo pectora illa ferrea immanitatis ac crudelitatis plena, amplius non eſſent toleranda.

P V C K.

5. Atque adeò veſtræ maieſtatis interitum vſque eò exoptat, vt illum ſecuritati ſuæ & vitæ anteferat. Nam in ea, quam nuper ad coniuratum quendam inſtructionem dedit, eum admonuit, verbis licet obſcuris & tectis, vt quidquid demum de eius perſona vitaque futurum eſſet, deſtinatam ipſe cataſtropham finiret.

C O N F V T A T.

Atque adeò Regum Hiſpaniæ, Franciæ, & Scotiæ interitum vſque eò exoptant Regina & proceres Anglicani, vt illum ſecuritati ſuæ & vitæ propriæ anteferant. Nam non ſemel in Gallia conati ſunt familiam Valeſianam de throno deturbare & Condeanam extollere, regemq; Catholicum hæreditariis ſuis prouinciis exuere, infamibusq; libellis proſcindere & lacerare; ac demùm ſereniſſimum Principem Iacobum Regem Scotiæ (ſi Deus peruerſa eorum conſilia non impediuiſſet) vnà cum ſanctiſſima matre occidiſſent. Quod argumentum eſt euidentiſſimum, eos nihil aliud deſiderare ac moliri, quàm omnium illorum necem atq; interitum. Quare ſi ſaluti perſonarum ſuarum regalium conſultum eſſe voluerint, vt his incom-

modis

modis maturè proſpiciant, neceſſe eſt. Deinde verò quòd ad inſtructionem attinet, quam tu fingis à Regina Scotiæ miſſam, reſpondemus illam eiuſmodi eſſe, vt per ſe auctorem ſuum Caluinianum verè caluum & ſtupidum prodat, quemadmodum & cætera, quæ à te, & ſociis tuis optimæ Principi ſine vlla probatione obiecta ſunt, vt ſuo tempore manifeſtiùs patebit.

RATIONES PVCKERINGII SVMptæ ab Euerſione veræ religionis.

PVCK.

PERICVLOSISSIMVM eſt illius vitæ parcere, quæ veræ religionis ſemper euerſionem meditata eſt & extirpationem; ſiquidem ab incunabulis Papiſmi erroribus imbuta; vbi deinde ad ætatem iuſtam venit, ſacra illa liga ſeu fœdere ſeſe adſtrinxit, & deinceps ſemper veritatis ſe inimicam declarauit.

CONFVTAT.

Notet Lector inter cauſas iuſtas mortis nobiliſſimæ Principis, hanc poni, quòd fuerit Catholica, & fidei Romanæ cultrix conſtantiſſima; & inde colligat, quid moliantur catuli Caluiniani in reliquos Principes Catholicos, ſi ſeſe obtulerit occaſio. Nos interim more noſtro argumentationem in aduerſarium retorqueamus. Periculoſiſſimum eſt Reginæ & procerum Anglicanorum vitæ parcere, qui veræ ac Catholicæ religionis ſemper meditati ſunt euerſionem & extirpationem; ſiquidem ab incunabulis, peſtilentiſſimis hæreſibus imbuti, vbi deinde ad ætatem iuſtam venerunt, ſacra illa liga ſeu fœdere Caluiniano (quod inſidiatur ſanguini principum Catholicorum, & rerum publicarum molitur euerſionem) ſeſe adſtrinxerunt, & dein-

ceps ſemper veritatis ſe inimicos & euerſiones, imò falſitatis protectores atq; Antiſtites declararunt.

PVCK.

Tota incumbit ſpe in Papiſticam libertatem & ambitionem, atque vt ſatisfaciat partim alijs, partim affectum ſuum peruerſum foueat, ita his ſeſe ſtudijs conſecrauit, planè vt ei deliberatum ſit, vbi & quando poſſit, ſupplantare Euangelium. Quod malum eò maius eſt, & eò diligentiùs præcauendum; quòd & ipſis animabus exitium adferat, & longiùs hinc non ſolùm per Angliam & Scotiam manare poſſit, ſed etiam ad illas partes tranſmarinas, in quibus Euangelium Dei defenditur & conſeruatur: quæ ſanè ex amiſſione & defectione huius nobiliſſimæ inſulæ non poſſunt non maximè infirmari.

CONFVTAT.

Tota incumbunt ſpe Regina & proceres Anglicani in Caluiniſticam libertatem, aliorumq; regum perniciem & ambitionem coniunctam, cum ſumma crudelitate atq; tyrannide. Atque vt ſatisfaciant partim aliis, partim affectum ſuum peruerſum foueant, ita his ſe ſtudiis conſecrarunt, planè vt eis deliberatum ſit, vbi & quando poſſint, ſupplantare veram ac Catholicam fidem Chriſti, ſuamq; hæreſim propagare. Quod quàm ſit pernicioſum ac periculoſum experti ſunt Reges Hiſpaniæ, Franciæ atque Scotiæ, magisq; experientur, niſi vtantur conſilio aduocati Puckeringij, tantamq; peſtem ex orbe pellant.

RATIONES PVCKERINGII SVMPTÆ *à periculo Status & Reipublicæ.*

PVCK.

Principes ſacerdotũ & ſeniores concitaue-runt tur-

QVEMADMODVM Lydi dixerunt olim, vnum regem agnoſcunt Lydi, duos autem tolerare non poſſunt; ſic nos modo dicimus, vnicam Regi-

Reginam Elizabetham agnoſcunt Angli; duas autem tolerare non poſſunt.

bam, & perſuaſerunt populis vt peterent Barrabam Ieſum autē perderent. Matt. 27. Mar. 15.

Confvtat.

Regina Scotiæ non ſemel teſtata eſt, ſe non prætendere ius ad regnum Angliæ, viuente Elizabetha, proinde ratio iſta eneruis & imbecilla eſt. Conuertamus ergò ſigna, atq; in hoſtem inferamus. Quemadmodum olim Lydi dixerunt, vnum Regem agnoſcunt Lydi, duos autem tolerare non poſſunt; ſic modò dicunt Hiſpani, Belgæ, atque Scoti: vnicum Regem Catholicum agnoſcunt Hiſpani atque Belgæ; & vnicum Regem Iacobum agnoſcunt Scoti; duos autem tolerare nullo modo poſſunt: quare fruſtrà contendit Regina Angliæ, ſuum & Caluini iugum humeris imponere noſtris.

P v c k.

Vt ab eo tempore, quo huc primùm appulit, ſuis blanditijs & lenocinijs plures huius regni nobiles eorumque familias cum maiore etiam plebis multitudine perdiderit, quàm feciſſet, ſi aut in coronæ ſuæ poſſeſſione manſiſſet, aut arma nobis intuliſſet, ita ſanè non deſinet, quoad viuet, ſimili vaſtationi perpetuas ſubminiſtrare faces, cum ingenti interim damno & periculo ſtatus. Quapropter hoc regnum neque poteſt, neque debet eam tolerare.

Confvtat.

Non potuiſſe Reginam Scotiæ multos ſuis blanditiis & lenociniis ad partes ſuas attrahere, palam eſt, cùm ſic à vobis incluſa fuerit, totq; ſepta & circundata exploratoribus, vt inſciis veſtris cuſtodibus vix potuerit quemquam conuenire. Nihilominus tamen ſi innocentia eius, virtus & dotes regiæ tales fuerunt, vt vel tygrides ad commiſerationem flectere potuerint; cur hoc illi potius, quam Deo tantorum donorum largitori imputatis, quòd ſubditus

Angliæ chara fuerit? Ad vim verò & argumenti tui ratione quod attinet, ſic contra te & actionem tuam inflecto. Vt ab eo tempore, quo Elizabetha tua regnare primùm cœpit, ſuis blanditiis, corruptionibus ſeu largitionibus, & conſiliis planè antichriſtianis, plures regnorum Franciæ & Scotiæ, ac prouinciarum Belgicarum nobiles, eorumq́; familias cum maiore etiam plebis multitudine perdiderit armando eos contra veros Principes ſuos, quàm ſi ipſa arma illis intuliſſet: ita ſanè non deſinet, quo ad viuet, ſimili vaſtationi perpetuas ſubminiſtrare faces cum ingenti damno & periculo omnium ſtatuum Chriſtianorum. Quapropter illa regna, & Reges Hiſpaniæ, Franciæ, atque Scotiæ, neq; poſſunt neque debent illam tolerare, ſi ſibi & ſubditis ſuis paciq; communi & tranquillitati conſultum velint.

P v c k.

Præterea illa ſola & vnica ſpes eſt ſubditorum, qui malè ſunt in regiam maieſtatem animati, illa fundamentum, ſuper quod homines malè affecti ædificant, illa radix, vnde omnes rebelliones & coniurationes pullulant. Ac proinde quamdiu hæc ſpes manet, ac fundamentum conſiſtit & ea radix viuit, nihil de priſtinis animis decedet, imò liberius quaſcunque ſuas contra regnum machinationes expedient: At contra, hac ſublata, facilè omnia corruent, & in nihilum euaneſcent.

Confvtat.

Quid peccatum eſt à Regina Scotiæ, ſi afflicti Catholici ſperent aliquando per eam, modo Regina veſtra ſuperſtes ſit, poſſe reſtitui fidem Catholicam? nunquid tam improbi eritis, vt ei vitio vertendum putetis, quod alij per eam ſperent aliquando (ſi Deo ita placeret) libertatem? Sed extorqueamus aduerſario & hoc telum. Sola Regina Angliæ ſpes eſt ſubditorum, qui malè in Reges Scotiæ,

tiæ, Franciæ atque Hiſpaniæ ſunt animati; illa fundamentum, ſuper quod Heretici Scotiæ Franciæ, Hollandiæ, atque Zelandiæ malè affecti ædificant; illa radix, vnde omnes rebelliones & coniurationes pullulant. Ac proinde quamdiu hæc ſpes manet ac fundamentum ſubſiſtit, eaq; radix viuit, nihil aut parum de priſtinis animis decedet, imò liberius quaſcunque ſuas contra Reges & regna machinationes perfidi ac præfracti Caluiniani expedient. At contrà hac ſublata, facilè omnia corruent, & in nihilum euaneſcent. Videant ergò Reges Catholici atque Chriſtiani, an hæc tam pernicioſa orbi terrarum ſit toleranda Princeps. Et videat etiam Prolocutor Puckeringius, quid de argumentatione tota ſtatuendum cenſeat.

PVCK.

In hoc itaque rerum diſcrimine dare ei miſericordiam, ſumma videatur in nos eſſe tandem crudelitas, namque eſt crudelis quædam miſericordia; ac proinde parcere vitæ eius, noſtram eſt profundere.

CONFVTAT.

Crudelitatis id nomine cenſetur apud impios Caluiniſtas, Principes Catholicos eorum ſectis aduerſantes permittere in viuis; nec mirum, quia hoc Euangelium, vt fuit ab hominibus ſceleratiſſimis & ſanguiſugis crudeliſſimis primùm in orbem importatum, ita ſanguinis effuſione conſeruari debet atque propagari. Verùm de hac eorum crudelitate Barbaris etiam vocibus conſignata, ſcriptis aduerſus Principes Catholicos editis, vnum tantùm vel alterum locum adferam, ex quo Lector intelligat facilè, quid impulerit crudeles iſtos proceres, vt optimam Principem Mariam Scotiæ Reginam è medio tollerent. Ioannes Knoxus Scotus in libello Geneuæ impreſſo, quem vocat Appellationem ad Nobilitatem & Populum Scoticum. Illud, (inquit) audacter affirmauerim; debuiſſe Nobiles, Rectores, Iudices, Populumq;

Anglicanum, nō modò reſiſtere & repugnare Mariæ illi Iezabeli, quam vocant Reginam ſuam; verùm etiam de ea & ſacerdotibus eius, & alijs omnibus, quotquot ei auxilium tulerunt, mortis ſupplicium ſumere, vt primùm cœperunt apertè Chriſti Euangelium ſupprimere. *Goodmannus etiam Anglus ex ſententia omnium Anglorum Caluinatum, qui Geneuæ erant, edidit Geneuæ librum qui inſcribitur: Quemadmodum ſummo Magiſtratui obediendum ſit.* Quamdiu (inquit) Princeps & Magiſtratus, etiamſi coram Deo impij ſunt, ſceleſti & reprobi, exteriùs tamen curant Dei leges cuſtodiri & obſeruari ab alijs, tam diu debemus illis obedientiam: ſin verò audacter & ipſi Dei leges tranſgrediantur (id eſt, Caluiniſmum non amplectantur) & alijs idipſum præcipiant, tum perdiderunt eum honorem & obedientiā, quam aliàs ſubditi eis præſtare tenebantur: Neq; deinceps habendi ſunt pro Magiſtratibus, ſed puniendi tanquam priuati homines. *Hanc ſacram, ſi Deo placet, doctrinam hauſtam ex pectore magni illius Caluini, noui iſti Apoſtoli Angliæ atq; Scotiæ, in Britanniam inuexerunt; ac ſecundùm illam, ſanctiſſimam Reginam Scotiæ Mariam, quia Catholica erat, licet & alia, vt Principibus externis ſatisfaciant, criminentur, Scoti de ſede deturbarunt, & Angli poſteà trucidarunt. Hæc pro Regina Scotiæ; nunc verò argumenti copias in hoſtem explicemus. In hoc itaque rerum diſcrimine dare Proceribus Anglicanis miſericordiam, ſumma videatur in populum Catholicum Franciæ, Scotiæ atque Belgij crudelitas eſſe: namque eſt crudelis quadam miſericordia; ac proinde.*

inde parcere eorum vitæ, aliud nihil eſt, quàm Catholicorum (quos dixi) ſanguinem haurire, ac Reſp. eorum penitùs euerſas velle.

PVCK.

Adhæc ingens dolor & vulnus quaſi inſanabile infligetur cordibus fidelium veſtrorum ſubditorum, ſi videbunt coniurationem tam immanem iuſta pœna non eſſe vindicatam.

CONFVTAT.

Coniurationem immanem à te tuiśq; frequenter nominari audio, ſed nullam interim eiuſmodi compertam video, quæ iure poſſit vel viliſſimum Angliæ mancipium in vitæ diſcrimen adducere, multò minùs Reginam; crimen illatum ſentio, non tamen certo cuiuſquam iudicio manifeſtatum. Quare ferte ſermonibus, & multiplicate fama proditiones, quamdiu audiam in ipſa mortis hora inficiantem, & ad Dei tribunal prouocantem, vos autem nihil adferre, nihil probare, necandi eam vobis quam eſſe poteſtatem credam? Inuerſa tuæ rationis ſerie clamant Catholici, non Angli tantùm atque Scoti, ſed exteri omnes. Ingens dolor & vulnus quaſi inſanabile infligetur cordibus noſtris, ſi videbimus coniurationes tam immanes Procerum *Angliæ ſuſceptas in Francia, Scotia, Belgio; & in ipſa Turcia cum Turcis contra Principes Chriſtianos atque Catholicos, iuſta pœna non eſſe vindicatas; neque ferre iam vltra poſſumus tam impios & execrabiles vrſos capitibus atque fortunis omnium noſtrum infeſtos, pacem tranquillitatemq; communem impiis artibus perturbantes*

PVCK.

Millia aliquot Maieſtatis veſtræ amantiſſimorum ac fideliſſimorum ſubditorum omnis generis atque ordinis, zelo ſecuritatis veſtræ & tenerrimo affectu, quo Regalem veſtram perſonam proſequuntur,

ſua ſponte ac voluntate, voto ſolenni ac publica ſubſcriptione ſe aſtrinxerunt, iceruntque fœdus & proteſtati ſunt vſque ad mortem ſe perſecuturos omnibus modis & rationibus eiuſmodi homines, qualem Reginam eſſe Scotiæ, iuſta iam ſententia & publico iudicio compertum eſt. Hi igitur omnes, nec amori ſuo nec iuramento facere ſatis queant, ſi veſtra Maieſtas Reginæ Scotiæ vitam largiatur: quamobrem ea religione & iuramento cupiunt fideles veſtri ſubditi exonerari, quod facilè fiet, ſi iuſtitiæ conſulatur.

CONFVTAT.

Benè habet Caluiniſtas tandem vota probare; eosq́ qui vota ſuſcipiunt, eiſdem teneri: ſed cuiuſmodi quaſo votis Deo ſuo Caluino ſeſe obligant? eiuſmodi ſcilicet, qualia olim impij Iudæi æmulatione falſi boni accenſi e-
Actor. 23. *miſerunt:* Facta (inquit D. Lucas) die collegerunt ſe quidam ex Iudæis, & deuouerunt ſe dicentes, neque manducaturos, neque bibituros, donec occiderent Paulum. Erant autem pluſquam quadraginta viri, qui hanc coniurationem fecerant; qui acceſſerunt ad Principes ſacerdotum & ſeniores, & dixerunt: Deuotione deuouimus nos nihil guſtaturos, donec occidamus Paulum. Nunc ergo vos notum facite tribuno cum conſilio, vt producat illum ad vos, tanquam aliquid certius cogniturì de eo. Nos verò priuſquam appropiet, parati ſumus interficere illum. *Ad eum modum Caluinates noſtri Anglicani voto ſe ac iuramento obſtrinxerunt perſecuturos ſe Reginam Scotiæ ac fautores eius vſque ad mortem, ſi qua modò in ſpecie ratio inueniretur, qua rea læſæ maieſtatis peragi & ad tribu-*

tribunal ſanguinarium ſententiam acceptura pertrahi poſſet. At è contrario Catholici non ſe iuramento obſtrinxerunt, vt impios homicidas occidant, ſed Principes Catholicos plurimùm ab illis læſos per Chriſti viſcera rogant & obteſtantur, vt à tàm crudelibus proceribus vltionem maturam exigant, ne Deus iuſtus ſcelerum vindex neglectæ iuſtitiæ & immanis Parricidij ab ipſis ac poſteris eorum denique pœnas repoſcat. Non poſſum hoc in loco prætermittere inſignem huius ſycophantæ calumniam & mendacium; ait enim millia aliquot Anglorum omnis generis ac ordinis ex zelo & amore, ſua ſponte ac voluntate, voto ſolenni ac publica ſubſcriptione ſe aſtrinxiſſe; &c. cùm tamen conſtet paucos quoſdam ſanguinarios Puritanos, mancipia ſcilicet Leceſtrij & Sicilij theſaurarij id conſilij iniiſſe, vt Catholicos vniuerſos perderent. Nam ſic inter eos in hoc fœdere conuenit, vt ipſi primùm tabulis feralibus ſubſcriberent, deinde per totum regnum coniuratos ſuos cùm poteſtate dimitterent, qui vel eos, qui ſubſcripſiſſent, in ſortem reciperent, vel id facere recuſantes, tanquam hoſtes Regiæ maieſtatis in vincula coniectos, fortunis omnibus ac vita ipſa exuendos declararent. Is enim vſitatus impiis Puritanis dolus eſt, quo Catholicos omnes vel bonis exuant vel vita. Vnde haud magno ſanè negotio coniicias pauciſſimos fuiſſe, qui volentes prudentes hoc ſe fœdere, de quo agitur, obſtrinxerint.

PVCK.

Poſtremò nihil dubitant Maieſtatis veſtræ amantiſſimi & obſequentiſſimi ſubditi, quin Maieſtas veſtra (quæ in ſacrorum eſt librorum lectione exercitatiſſima) facilè in memoriam reuocabit, quàm terribilia in eis exempla proponantur iuſtitiæ & vindictæ diuinæ, contra Saul parcentem Agag; & contra Regem Achabum, quòd vita donarat Benadad, quorum vterque iuſto Dei iudicio, regnis ſuis priuati ſunt, eò quòd pepercerint impijs illis Regibus à Deo in manus

eorum

eorum adeò traditis, vt ipſi velut miniſtri æternæ ac diuinæ iuſtitiæ, impios letho darent. Quare ſapienter egit Salomon, quando fratri ſuo maiori natu Adoniæ propterea immiſit percuſſores, quod matrimonium is contrahere cogitaſſet, præbens ei ſuſpicionem perduellionis. In huius igitur cauſæ deciſione, nos Maieſtatis veſtræ amantiſſimi & obedientiſſimi ſubditi, à Regali veſtra voluntate pendemus & ſententia; quam certò perſuademus futuram eiuſmodi; quæ & Deo gratiſſima, & ſtatui Reipub. ſit vtiliſſima, quamq; argumenta certa Maieſtatis veſtræ erga nos omnes ſingularis amoris & curæ publicæ ſaluti promittunt, communi non defuturam expectationi.

CONFVTAT.

Hæc omnia, quæ deinde addit veſanus iſte & ſanguinolentus Prolocutor, nullo negotio poſſunt à Catholico ad Principes Chriſtianos accommodari, vt ipſi etiam videant, ne Deum grauiſſimè offendant, dùm permittunt hos proceres Anglicanos, barbaras ſuas hæreſes inter populos Catholicos & externos diſſeminare, ac ſuos miſeros ſubditos domi intolerabili ſeruitutis iugo opprimere; Reginæ Scotiæ innocentiſſimum ſanguinem inultum effundere, & denique in omnes Reges Catholicos atque adeo in ipſum Chriſti Vicarium, ac verè ſummum Pontificem impunè bacchari & impiam linguam exerere. In horum ergò tot ſcelerum cauſas atque auctores, vt animaduertant Sixtus V. Pontifex Max. Philippus Hiſpaniarum Rex Catholicus atque potentiſſimus, Henricus Galliarum Rex Chriſtianiſſimus, Iacobus Scotiæ Rex ſereniſſimus, Lotharingiæ ac Guiſiani Duces illuſtriſſimi; cæteriq; Principes Catholici, infinitis iniuriis laceſſiti; omnes denique Catholici per orbem Chriſtianum longè lateq; diſperſi, infimis votis ac precibus per Chriſti viſcera expoſcunt, atque per eam etiam Eccleſiam orant, cuius membris nobiliſſimis tam viuis quàm defunctis ſummam eſſe iniuriam illatam, norunt.

RESPON-

RESPONSIO, QVAM VIVA VOCE DEDIT REGINA ANGLIÆ *petitioni aut ſupplicationi Procerum & populi Anglicani repræſentantium ſtatus Parlamenti. Richmundiæ 12. Nouembr.* 1586.

INFINITA chariſmata, & beneficia immenſa, quæ mihi donauit omnipotens, eiuſmodi ſunt, atque ſemper fuerunt, vt non modò ea lubens agnoſcere debeam, ſed etiam admirari, & veluti miracula potius quàm beneficia reputare; non tam diuinæ Maieſtatis reſpectu, cui nihil eſt vulgarius, quàm rara & ſingularia efficere; quàm ratione infirmitatis noſtræ, qua non poſ ſumus ſatis mirabilia eius opera & dona prædicare; quæ ſanè ſi me aſpiciam ipſa, tam varia ſunt, & tam cumulatè mihi præſtita, vt verbis multitudinem eorum exprimere non valeam. *Eſa. 1. Filios enutriui & exaltaui, ipſi autē ſpreuerunt me, Væ genti peccatrici, &c. Eſa 5. Quid debui vltrà facere vineæ meæ, & non feci ei? &c.*

Et quamuis nemo forſitan viuit, qui iuſtius quàm ego fateri queat infinitis ſe modis diuinæ bonitati obſtrictum; quippè quæ vitam meam diuerſis temporibus non ſine miraculo præter merita mea à plurimis periculis imminentibus liberauit, * illa tamen cauſa non eſt, cur me præ cæteris exiſtimem infinitis modis obligatam, vt gratiam illi maximam habeam, & ſubmiſſo animo largitorem agnoſcam, ſed ea potiùs, quam deinceps vobis explicabo, quæque nomen miraculi iure meretur, ſi ea quæ rara ſunt atque videntur, digna exiſtimemus quæ magnificant. Eſt autem hæc, quod quemadmodum ad gubernacula & coronam regalem propenſis ſubditorum meorum voluntatibus, & beneuolentiſſimis animis acceſſerim, ita nunc poſt 28. annorum gubernationem non minorem ſentiam voluntatis veſtræ erga me pro-

propenſionem, qua ſi deſtituta hactenus fuiſſem, equidem ſpirare iam forſitan, at neutiquam ſanè viuere mihi viderer.

Rom. 2. * *An diuitias bonitatis Dei, & patientiæ & longanimitatis contemnis? ignorans quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit. Secundùm autem duritiam tuam & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei, qui reddet vnicuique ſecundùm opera ſua.*

Iam verò, * etſi intelligam vitæ meæ multas inſidias, easque periculoſas valdè ſtructas eſſe, mortemq; mihi ab illis quotidiè paratam, de quibus huiuſmodi nihil promerui; nihilominus tam longè ab omni ſum malitia, (cui ſcilicet id proprium eſt, hominem in aliorum calamitate, & hoſtis præcipuè ruina perfundere lætitia, facereque, vt quod iræ libidine, & ardenti odio committitur, alterius fiat obtentu, eoque impellit) vt profitear ingenuè me non ſine magno doloris ſenſu accepiſſe, illam, quæ ſexu atque conditione mihi par & ſanguine coniuncta eſt, in tàm graue crimen incidiſſe: atque adeò tam mihi conſilium nullum fuit eam quouis colore aut ſpecie malitiæ perſequendi, vt (quod non latet quoſdam proceres hic præſentes, etenim iam loquacem eſſe non piget) arcanas ad eam literas dederim (poſtquam intellexiſſem varias illas machinationes iam in apertum erupiſſe) quibus ſignificaui; ſi literis ſuis ſecretis ad me datis crimen vellet agnoſcere, ſeque ream fateri, nunquam futurum vt publice cauſa tractaretur, aut veniret in diſquiſitionem.

Nota myſteria, rogatur Regina Scotia, vt crimen agnoſcat, quod probari nō poterat.

* *Iuſtè poteſt Maieſtas tua timere, nam inſidiæ procerum Angliæ, machinationes & coniurationes ſtructæ contra Philippum Regem Catholicum, contra tres ordine Reges Franciæ Chriſtianiſſimos, contra Iacobum Regem Scotiæ; contra innocentiſſimam Mariam Scotiæ Reginam, contra Ioannem Au-*

ſtriacum Principem optimum; contra ſedem Apoſtolicam, contra Hiſpaniam, Franciam, Belgium atque Scotiam; illorum denique immanis Tyrannis & crudelitas in populum Angliæ afflictum efficiet tandem vt iuſtitia Dei ſe exerat, illiſq; mercedem maleficiorum ſuorum reddat.

Neque ſanè eo id animo à me factum eſt, vt illam circumuenirem; nam ea tum temporis omnia habebam perſpecta quæ ipſa mihi potuiſſet fateri, quemadmodum literis ad eam datis ſignificaram. Immo verò, iam adhuc, poſtquam crimen plus ſatis innotuit, ſi exiſtimarem illam ad meliorem redire mentem velle, veramque pœnitentiam agere; (quod fortè in ſpeciem facturam ſe ſimulet) conſtaretque neminem, qui cauſam hanc deinceps perſequeretur, futurum; vel ſi ego & ipſa duæ eſſemus de plebe puellæ, quibus id modò munus incumberet, mulctram geſtare brachijs, & ad quas vita ſolùm cuiuſque priuata, non etiam religionis veſtræ ſtatus & proſperitas Reipub. pertineret, denuntio equidem me lubentiſſimè illi hoc crimen condonaturam.

Qua in re velim vt fidem mihi habeatis; quamuis enim multis vitijs atque peccatis obnoxia ſim, ſpero tamen non ita me aſſueuiſſe linguam, vt inſtrumentum ea ſit calumniæ ſiue falſitatis. Enimuerò, ſi cæteræ nationes & regna id verè dicerent àc ſentirent regnum hoc veſtrum morte mea ſtatum proſperum atque florentem conſequi poſſe, ingenuè tum certè faterer vitam me non deſiderare longiorem; ſed lubentem ex ea diſceſſuram; quo vos etiam morte & interitu meo principem conſequeremini meliorem. Equidem veſtra omnium & Reip. duntaxat cauſa viuere cupio, ne ſcilicet me mortua peiorem nanciſcamini. Quod enim ad me attinet; non video (credite mihi) cauſam vllam ſatis grauem, quæ me vt diu hic viuere lubeat; permouere poſſet; Siquidem ex hac

Tempus docebit, quod modò ignoratur.

Si cauſam iuſtam habuiſſet Elizabetha occidendi Reginam Scotiæ, gloriã & laudem meruiſſet parcẽdo hoſti; nunc autẽ ſumma crudelitatis notam ſibi ſuiſq; in æternũ inuſſit occidendo illam: quam omnes iudicant fuiſſe innocentem.

Hæc cõfeſſio, ſi fieret Catholico ſacerdoti,

fortè abſolutionem promererentur.

vita non tantum voluptatis capio vt diuturnam exoptem; nec tantum concipio in morte terroris, vt vehementer eam reformidem: quamuis imminentem forſitan eius aculeum carnis & ſanguinis commotione nonnihil refugerem.

Hei mihi, quia incolatus meus prolõgatus eſt nimis.

Paucos vidimus Principes externos Angliæ fuiſſe hactenus moleſtos, quã vnius ad vnũ omnes prouocati fuerint.

Mundus hic mihi ſatis exploratus eſt, noui quid ſit ſubditum, quid Principem agere, quid vicinos habere beneuolos, quid maleuolos experiri. Inueni perfidiam, vbi fidelitatem expectaui, ſenſi magna beneficia non magni fieri, & loco gratitudinis aduerſam experta ſum fortunam & animos alienos. Hæc præteritorum malorum recordatio, præſentium ſenſus, & expectatio futurorum me in eam traxere ſententiam, vt exiſtimem malum aliquod eò tolerabilius eſſe, quò minus duret, & conſequenter eſſe feliciores eos, qui citius hinc migrarint. Hæc, inquam, ita me inſtruxerunt, vt æquabilius has coniurationes tolerem, quàm ſexus alioquin ferat muliebris, & robuſtiori quoque animo, quàm viri fortè multi ſuſtineant. Quod ſanè non ex inopia rationis aut ignorantia ſentire me putabitis, ſed potius ex alto mentis conſilio depromere, quo de me ipſa ſic ſtatuo, vt ſi machinationes aduerſariorum obtinerent, prius iam è vita diſcederem quàm vulneris dolorem ſentirem. Atque ita quamuis pericula mihi imminentia futura eſſent magna, pœna tamen & leuis foret, & breuis, & quanquam inuita tam crudelem mortem oppeterem, nihil tamen dubitarem, quin Deus Opt. Max. gratiam mihi largiturus eſſet, quò parata eiuſmodi caſum exciperem, quandocunque tandem mihi accideret, quod interea totum diuinæ prouidentiæ integrum relinquo.

Laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles, &c Sap. 5.

Leges Angliæ non ſe extendunt ad Principes exter-

Iam verò quod attinet ad coniurationes patefactas, & earum præcipuam inuentricem, non ita præiudicabo mihimetipſi & regno meo, vt exiſtimem aut dicam me non poſſe (ſepoſito vltimo Parlamenti decreto)

creto) per antiquas huius regni leges agere contra eius perſonam, quod tamen decretum non eius ſolius gratia ſancitum eſt, quamuis id fortè nonnulli, qui cauſæ eius patrocinantur, ſuſpicati ſint. Tam longè certè à calumnia ei ſtruenda illius decreti authores fuerunt, vt potius hoc ipſo admonitam voluerint, quàm notatam. Sed quia legitimè illud ſancitum eſt, & vim legis habet, conſultius fore duxi, in ijs, quæ Reginam Scotiæ attingunt, iuxta tenorem illius edicti procedere, quàm ſecundùm ordinem iuris communis, tametſi ſecundùm antiquas regni leges æquè poſſem iuſtè eam ream peragere, ſi tamen (quod Deus auertat) vos iudices nullam mihi fraudem feciſtis, & quos mihi obtuliſtis, libelli calumniarum, atque omnis mali doli ſint expertes.

nos nō ſubiectos Angliæ Regi. Catholici ſunt nimis ſimplices & ſcrupuloſi, vt non poſſint vel non audeant ſuſpicari in rē aperta.

Secundùm nouam legem procedendum erat, quia antiquæ non inſeruiebant.

Sed interim vos Iuriſconſulti vſque eò in verbis & ſyllabis examinandis non rarò occupamini, vt plerunque magis formam conſideretis, quàm materiam, ſyllabas, quàm ſenſum legis. Nam ſecùndum rigorem & exactam formam, quam vos communiter ſequimini, debuiſſet Regina Scotiæ in comitatu Staffordienſi tribunali ſiſti, cauſam dicere, & iudicio duodecimuirali rea peragi. Egregia ſanè iſthæc procedendi ratio cum perſona Regalis ordinis atque dignitatis fuiſſet. Quamobrem ſatiùs etiam fore putaui, quò hæc, aliaque complura vitarentur incommoda, cauſam iuſto numero præcipuorum & honoratiſſimorum virorum ac iudicum huius regni dari cognoſcendam; quorum ego meritò ſententias amplecti debeo atque probare, quamuis, vt verum fatear, & hoc vix ſatis eſſe videri queat; Nam nos Principes veluti in theatro conſtituti orbis terrarum, omnium patemus oculis, & iudicijs omnium notamur; vnde in veſtimentis noſtris vel labecula cernitur & in actionibus vel minimus error deprehenditur; Ac proinde curandū ſedulò nobis eſt, vt rationes iuſtę ſint atq; honeſtę.

Hac occulta procedendi ratio commodior videbatur in cauſa peſſimâ, vbi figmentis opus erat, non teſtibus veracibus.

De honoratiſſimis iſtis proceribus alib diximus.

Cæterùm monendi eſtis vos hoc vltimo veſtro ſtatuto Parlamentario in eas me coniecisse anguſtias, vt ſcilicet de morte cogar Reginæ Scotiæ aliquid ſtatuere; quod ſanè * onus non poteſt mihi non eſſe difficillimum & maximi præbere doloris occaſionem.

* *Si onus hoc difficillimum declinare voluit Regina Angliæ, cur cæteros Principes Chriſtianos in cauſa tanti momenti non conſuluit? Immò cur non audiuit vltrò petentes atq; rogantes, ne ſanguinem tantæ Principis crudelis effunderet? Sed alea iam erat iacta, pluſq; poterat Leceſtrius vnus, quàm Principes cæteri Chriſtiani omnes.*

Et ne ſiniſtrè fortè (id quod penè exciderat) interpretemini meam ab vltimo illo Parlamento abſentiam; quamuis vix cauſa iuſta eſſe poſſit, cur ſponte hominum multitudini, inter quos improbi deeſſe non ſoleant, me miſcerem; non eò tamen abfui, quòd mihi à periculo timerem, ſed ob ingentem potius animi dolorem, quo me affectum iri intell gebam, ſi cauſam hanc publicè dici, atque de illa iure ibi audiſſem diſceptari, & de eius demùm agi capite vidiſſem, quæ in tanto dignitatis eſt faſtigio collocata, & ſanguine nobis propinqua; cuiusque mors in cauſa foret, *cur hæc natio tam turpi apud omnes perfidiæ nota inureretur.* Atqui eò tamen minorem eſſe dolorem meum hunc fateor, quòd maiorem hominum partem ſtudere noſtris commodis atque ſaluti, ſpem habeam; eosque qui alterius ſint & deterioris conditionis factioniſuè non tanti ſcilicet exiſtimem faciendos, quòd, dum mihi perniciem ſtruunt, animas ſuas ipſi extinctum eant. Poſſem equidem id in præſenti commemorare, quod non ſine dolore percipietis: & quod licet arcanum ſit, tamen enuntiabo; vt omnibus nimirum palam fiat, illius eſſe me ingenij, non facile vt detegam arcana, quanquam non abſque meo periculo id accidat interdum. Non multum fluxit temporis, ex quo oculis

Cum eſſet Pontifex anni illius, prophetauit. Ioan. 11 Magnum arcanum, Caluiniſtas inſignes mendaciorum artifices, coniurationes nouas & proditiones fingere.

oculis hiſce meis ſcriptum legi, nonnullos intra paucos dies iuramento fidem ſuam adſtrinxiſſe, quòd intra menſem aut vita me eſſent ſpoliaturi, aut ſuam ipſi ſuſpendio finituri. Cum ergo commune veſtrum in me concerno periculum, nec poſſum nec volo tam eſſe ingrata, aut conſcientiarum negligens omnium, vt non velim veſtræ conſulere ſecuritati.

Non ſum immemor iuramenti & fœderis, quo voluntates veſtras optimè erga me affectas conteſtati eſtis, cùm ſcilicet periculum mihi creatum aduertentes & ſecuritati perſonæ meæ & vitæ conſeruationi proſpicere eſtis dignati. Quod fœdus veſtrum (Deum teſtor) ita me latuit, vt non prius in mentem venerit, quàm inſtrumenta varia ſubſcripta à præcipuis huius inſulæ proceribus, eorumque ſigillis munita in regia noſtra Hamptonienſi mihi coràm exhiberentur. Quod vt perfectum agnoſco fideliſſimorum animorum veſtrorum, & magni amoris ſalutis meæ argumentum, ita ſanè arctiori me vinculo procurandi boni veſtri obligatam in poſterum ſentio.

Vtinã certè neres, ô Regina, ſecreta conſilia procerum tuorũ; viderespro- fectò illos non pluris facere vitã tuam, quã Reginæ Scotiæ, ſi vel in minimo te illis oppone- res.

Sed quoniam cauſa hæc Reginæ Scotiæ, qua de nunc agitur, ex rariſſimis vna eſt & magni præterea ponderis, ex qua multa etiam alia conſequuntur, non vos arbitror in præſens exſpectare deciſionem: Scitis enim in rebus multò minoris momenti conſueſſe me non ſine attenta diſquiſitione ſubita dare reſponſa: ac proinde in negotio hoc ſummi momenti neceſſarium eſſe iudico, vt diligenti obſecratione diuinam imploremus Maieſtatem, meam vt intelligentiam illuſtrare, gratiaque cœleſti pe fundere dignetur, quò nimirum id agamus & decernamus, quod maximè inſeruire poſſit Eccleſiæ ſuæ confirmationi, & ordinum totius regni conſeruationi, & Reip. demùm huius meæ curæ commiſſæ proſperitati. Et quoniam intelligo moram hac in re periculo non carere, dabo operam, vt deciſionem noſtram, ea qua conuenit celeritate,

Eſa. 1. & 59. Cùm extenderitis manus veſtras, auertam oculos meos à vobis; & cum

multiplicaueritis orationem, non exaudiam, manus enim veſtra plena ſanguine ſunt.

tate, per legatos noſtros accipiatis. Poſtremò quicquid Princeps de ijs poſſit ſubditis aut iuſtè gubernando, aut iniurias ab infimis etiam tolerando promereri, qui certis atque exploratis indicijs ſinceram teſtificati ſint fidelitatem, id ego vobis certiſſimè promitto, & intemerata fide præſtituram me recipio, vt vel ita plurima veſtra quæ conſtant in me merita, compenſare videar.

Hac reſponſione accepta abierunt Proceres.

REGINA deinde per Cancellarium ſuum & quendam alium nobilem reſpondit Parlamento, monens & mandans, vt diligentiorem præſenti cauſæ cognoſcendæ operam darent, cogitarent etiam atque etiam, num alia ratione poſſit, quàm morte Reginæ Scotiæ, à qua ſua maieſtas naturæ quadam propenſione abhorreat, incommodis & periculis, quæ expectentur, obuiam iri.

RESPONSIO PARLAMENTI AD LEgationem, *quam miſit Regina Angliæ, per Cancellarium oblata, 24. Nouembr. Anno 1586.*

CAncellarius regni 25. aut 26. proceribus Parlamenti comitatus adijt ad reginam, traditurus decifionem procerum & ordinum Parlamenti, eorum quæ ipſe non multò antè nomine ſuæ maieſtatis iiſdem ordinibus propoſuerat (vt diligentius nimirum ſecum expenderent, aliáne ratione, quàm morte Reginæ Scotiæ Maieſtatis ſuæ perſona à periculis imminentibus eripi, & ſtatus Reipu in pace conſeruari poſſet) ac demùm hoc reſponſum dedit, ſe ex

Maieſtatis ſuæ præſcripto ſignificaſſe ea ordinibus Parlamenti, quæ Maieſtas ſua ipſis voluiſſet iudicari, facileq; ex ſilentio omnium didiciſſe non parum eorum animos ob id conſternatos, cùm poſt maturam maximè deliberationem cauſam definijſſent: eos nihilominus, quo Maieſtatis ſuæ votis facerent ſatis, de nouo in cauſæ cognitionem incubuiſſe, plurimosque & eos quidem delectos viros ſuperioris aulæ ſeu conſeſſus aſſumpſiſſe, qui vel priuatim inter ſe, vel cum ordinibus inferioris aulæ hac ipſa de re conferrent, qui poſtquam varijs temporibus inter ſe diſceptarint, magna animorum conſenſione omnes vtriuſque conſeſſus ordines definiiſſe, vitam ſuæ Maieſtatis, diuinam religionem, & vniuerſæ Reipub. ſtatum aliter ſeruari non poſſe, quàm morte Reginæ Scotiæ, & latione ſententiæ, quemadmodum in prima ſua ſupplicatione ſignificarint, & enixè obteſtati ſint; eiuſque rei cum multas & varias rationes ipſe Cancellarius propoſuit, tum hanc quoque in medium attulit; quòd ſi Maieſtas ſua nulli vel infimo ex ſubditis ſpeciatim ius flagitanti negare poſſit, multò profectò minus omnibus in vniuerſum infima & ardenti ſupplicatione id poſtulantibus negari poſſe. Atque ita finem fecit dicendi, vehementer petens, vt Maieſtas ſua cauſam decerneret, & quamprimùm edicto promulgaret ſententiæ in Reginam Scotiæ latæ executionem.

Tolle, tolle crucifige eam, quia Catholicã ſe fecit.

CONFVTAT.

Illud mihi videtur huic loco aptè conuenire, quod ſcribitur Sap. cap. 2. de impijs in hunc modum loquentibus:

Opprimamus pauperẽ iuſtũ & non parcamus viduæ nec veterano, nec reuereamur canos multi temporis, ſit autẽ fortitudo noſtra lex iniuſtitię. Circumueniamus ergò iuſtũ, (iuſtã)

quoniam inutilis eſt nobis, & contrarius (cõtraria) eſt operibus noſtris, & improperat nobis peccata legis (Caluinianæ) & diffamat in nos peccata diſciplinæ noſtræ. Facta eſt nobis in contradictionem cogitationum noſtrarũ (quia viuente illa non poſſumus proles noſtras Caluinianas ad coronam euehere.) Grauis eſt nobis etiam ad videndum, quoniam diſſimilis eſt alijs vita illius & immutatæ ſunt viæ eius. Tanquam nugaces æſtimati ſumus ab illa (quia hæreſes nugæ ſunt & fabulæ, & cõſequenter hæretici cenſendi ſunt nugaces) & abſtinet ſe à viis noſtris tanquã ab immunditijs, & præfert nouiſſima iuſtorum, (nam ſi veſtram perfidiam voluiſſet amplecti & mores aulicos ſequi, iam fortè abacta Elizabetha veſtra, qua ad tempus vtimini donec melior occurrat, cuius mores ſint paulò vobis gratiores, iam ad clauum nauis veſtræ viua & incolumis ſederet) morte turpiſſima condemnemus eam, erit enim ei reſpectus ex ſermonibus illis.

SVMMARIVM PETITIONIS, QVAM Prolocutor aulæ inferioris propoſuit ſuæ Maieſtati nomine populi Anglicani.

PVCK.

SI vita veſtræ Maieſtatis poſſit ſine morte Reginæ Scotiæ ſeruari, probabiliter id aliquo fieret horum modorum ſubſequentium.

Primum, ſi reuocari ad veram pœnitentiam poſſet, efficique vt agnoſceret Maieſtatis veſtræ miſericordiam & gratiam ei crimen id nefarium ignoſcentis, & deinceps rectè factis obedientiaque, fructus veræ conuerſionis redderet. I.

Aut ſi tam arcta cuſtodia haberetur, non facilè vti timeri poſſet, ſimilia in poſterum auſuram. II.

Tertiò, ſi aut ſacramentis, aut datis obſidibus caueri poſſet, vt vitam prudentiùs deinceps & meliùs inſtitueret. III.

Aut poſtremò, ſi vel eius exilio hoc regnum poſſet ijs periculis, quæ præſens ipſa vitæ Maieſtatis veſtræ adfert, exonerari. IV.

Confvtat.

Quàm vellent impij, vt pia Princeps crimen confiteretur nunquam à ſe commiſſum, vt eò faciliùs manifeſto confeſſionis indicio non ſolùm eam ſpecie aliqua iuſtitiæ interimere, ſed etiam luctuoſam ſuam cataſtropham exteris principibus magis probare poſſent. Mirum eſt tantoperè vos obedientiam à Regina Scotiæ erga Principem veſtram exigere, qui nullis interim obedientiæ vinculis exiſtimatis perfidos ſocios veſtros erga Principes ſuos ac Dominos legitimos eſſe obſtrictos. Adhæc, quid pœnitentiæ vos & conuerſionis fructus in Catholica Regina deſideratis, cùm eadem nec à veſtris requiratis, nec in vobiſmetipſis exerceatis? Prepoſterus deinde is rerum ordo eſt, pœnitentiam velle. vbi nulla præceſſerit culpa, & conuerſionis fructus ab illa poſcere, quæ auerſionis crimine maculata non fuit.

Pvck.

A Cæterùm omnibus hiſce rationum momentis quàm diligentiſſimè examinatis, nulla iudicio ordinum, ex his aut eſſe aut ſperari tuta poteſt. Nam quod ad conuerſionem attinet, id in primis ordines conſiderarunt, ſi aut pietas, aut officium eam coërcere potuiſ-

ſet, quò minùs eiuſmodi facinora attentaret, certè non defuiſſe cauſas & rationes à Maieſtate veſtra abundè illi ſubminiſtratas; quando non ſolùm eam contra vim & impetum ipſius ſubditorum iuſtiſſimè illam ad mortem vſque perſequentium defendit: ſed honorem eius publica etiam infamia aſperſum, & grauiſſimis ſceleribus, criminibuſque capitalibus coram commiſſarijs ad id delegatis obiectis & probatis pluſquam contaminatum tutata eſt, vitæque eius pepercit, etiam, B quando cum rebellibus prouinciarum ſeptentrionalium coniurauit, & icto fœdere cum ijs ſocietatem inijt, omnes ordines regni in parlamento 14. anno regni Maieſtatis veſtræ congregati vehementiſſimè contenderint, C vt veſtra Maieſtas in eam, quod etiamnum poſtulant audacter, leges exerceret. Præterea cùm huius edicti pœna abundè ſatis illi innotuerit, potuiſſetque meritò ab improbis illam machinationibus deterrere, nihilominùs tamen ceu malitia indurata, & odio quodam aduerſus Maieſtatem veſtram ſuſcepto implacabili, prioribus conſilijs inſtitit, ita vt nullam vel leuiſſimam de ſe præbeat ſpem conuerſionis; ſed contrà timendum potiùs vehementer ſit, ne relabatur, quod etiam veluti certò expectandum eſt, D maximè cùm obſtinatè crimen neget euidentiſſimè comprobatum, & cuiuis comperta æquiſſimè tandem ſit condemnata, neque demùm vel primam attigerit pœnitentiæ partem, quæ culpæ eſt agnitio, ac propterea longiſſimè abſit à fructibus, qui pœnitentiam comitari ſolent.

CONFVTAT.

A De pietate ac officiis Reginæ veſtræ erga Reginam Scotiæ antè egimus, nec opus eſt eadem hîc repetere. Quod verò attinet ad crimina & grauiſſima ſcelera, quæ tu, impure belluo, Reginæ Scotiæ ais obiecta eſſe & probata; notum eſt toti Angliæ, ſcriptiſq; editis conſtat, illam à Commiſſa-

riis;

riis veſtris enuntiatam fuiſſe innocentem & integram à morte illuſtriſſimi Principis Henrici Stuarti mariti ſui, cæterisq; criminibus ei ab impiis & ingratis ſubditis ſuis conſilio Procerum veſtrorum ac Superintendentium obiectis, ſed nunquam legitimè probatis; quod breui, vti ſpero, ad perpetuam nominis veſtri infamiam in hominum lucem prodibit, vt toti orbi innoteſcat, quàm vos & veſtri Caluiniani proceres Turcicè & immaniter cum innocentiſſima Regina egeritis.

B *Iudicabit facilè prudens Lector, calumniam hanc eſſe, non iuſtam accuſationem. Nam tunc innocens Regina vinculis arctiſſimis à vobis, manſueti & miti ingenio patris Caluini liberis conſtricta fuit, nihil ferè vt licuerit ſcribere aut loqui, cuius vos conſcij eſſe non potueritis, multò minùs vt fœdera aut ſocietatem cum Procerib. prouinciarum ſeptentrionalium ineundi, vel militem aut pecuniam, quam non habebat, ſubminiſtrandi facultas fuerit.*

C *Hinc patet vos non iam primùm, ſed à quindecim & eò ampliùs annis rationes fabricaſſe optimam Principem trucidandi; quia ſcilicet nec religionem mutare, nec turpiſſimis moribus veſtris vnquam voluit inſeruire, quantumuis pro inſigni veſtra maledicentia non defuerint inter vos, qui publicis literis ſparſerint, illam dum in vinculis ageret, & vterum geſtaſſe, & proles neſcio quas edidiſſe; fortè vt domeſticos veſtros partus, ementito Reginæ Scotiæ patrocinio celaretis.* D *Illa ſcilicet eſt æquitas iuſtitiæ veſtra barbarica, non Britannica, vt Principem nobiliſſimam nullis teſtibus editis conuictam, & crimen obiectum conſtanter negantem occcidere præſumatis.*

P V C K.

Deinde verò, quod ad cuſtodiam arctiorem, & ſecretiorem carcerem pertinet, viſum eſt Procerib. nullam in eo ſecuritatem eſſe poſſe, quemadmodum nec in iuramentis eius, nec in obſidibus, ſiquidem adhuc omnes eę rationes & extinguendi Maieſtatem veſtram

(quod

(quod certè Deus auertat) & retinendi Reginam Scotiæ libertati, & obſides fide eximendi ſupppeterent. Quod ſi damno id noſtro fiat irreparabili (amiſſione ſcilicet Maieſtatis veſtræ) quis obſides deinde vrgeat aut retineat? vel ſi retineantur, quæ quæſo ratio par inueniri poſſit inter obſides & Maieſtatem veſtram margaritam Regno huic nobiſque omnibus pretioſiſſimam & inæſtimabilem?

CONFVTAT.

Certè Machiauellianus aſſecla inſignis es, & qui ad conſiſtorij Caluiniani tribunal eueharis, digniſſimus, qui tam crudeliter ludis de vita optima Principis. Nonné videtur apta tibi & conueniens ratio hæc argumentandi? Non deerunt fortè, qui conabuntur ſuo tempore legitima aliqua ratione Reginam Scotiæ in libertatem aſſerere; non deerunt, qui eam ad gubernacula regni legitimè adnitentur euehere, id ſi qua induſtria effici modò poſſit; neq; iam deeſt, imò maximus eſt Reginæ Scotiæ animus promouendi Catholicam atq; Romanam fidem, ſi mortua Elizabetha contingat illam clauum Reip. Anglicanæ tenere: neque deerit tum Principibus etiam Chriſtianis voluntas pro eius vita & incolumitate orandi & ſupplicandi; denique periculum eſt præſens & certiſſimum interitus perfidiæ noſtræ Caluinianæ. Quamobrem ſit licèt alligata vinculis; & tam arcta habeatur cuſtodia, vt nec literas ſcribere, nec quenquam conuenire, nec ſuam cauſam agere, aut de noſtra crudelitate conqueri poſſit; tollatur nihilominùs quantumuis innoxia de medio: ſic decreta, ſic ſcita, ſic fundamenta iubent Euangelij noſtri Caluiniani, neque cuiuſquam ſanguini parcendum Principis; nec viſceribus ciuium, nec fidei Chriſtianorum; Sap. 2. modò fruamur bonis quæ ſunt, & vtamur creatura: vino pretioſo & vnguentis nos impleamus; coronemus nos roſis antequam marceſcant; nullum

pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra; vbique relinquamus ſigna lætitiæ, quoniam hæc eſt pars noſtra, & hæc eſt ſors.

PVCK.

F SED fortè dicat quiſpiam, Reginam Scotiæ paratam ſolenni voto & iuramento fidem facere, nihil vnquam attentaturam ſe, quod cedere poſſit in præiudicium veſtræ Maieſtatis. At verò conſtat iam ſæpè eam fidem & ſacramenta fefelliſſe, idque pro articulo religionis habere G fidem hæreticis non eſſe ſeruandam, quo nomine & veſtram Maieſtatem & omnes cenſet Euangelij profeſſores. Ac proinde non eſt, quod illi fidem in eo habeamus, cuius ipſa nullam agnoſcit religionem.

CONFVTAT.

F *Tu quis es, qui iudicas ſeruum alienum ſerue nequam & inſigniter improbe? Doce, ſi potes, qua in re Scotiæ Princeps ſereniſſima fidem vobis datam aut fefellerit, aut non præſtiterit. Non eſt, crede mihi, non eſt Regum Catholicorum fidem datam violare, aut verba ſua reuocare, hoc enim proprium eſt Procerum veſtrorum & cæterorum mancipiorum ſynagogæ veſtræ Caluinianæ, qui vno eodemq́; ſpiritu flant, ſorbent; aiunt, negant; pacem lingua, manu ferroq́; bellum, animo fraudes & dolos gerunt vix explicabiles. Nec mirum, quia Pontificem habetis, qui nodos etiam Chriſto auctore, ſempiterno vinculo illigatos ſoluere atque expedire tentet, vt ſunt, Mulierem eſſe caput Eccleſiæ Anglicanæ, prouincias alienas ſine cauſa iuſta inuadere, &c.*

G *Ex abundantia cordis tui perfidia exulcerati os impurum loquitur. Quia ſcilicet vos Caluini mancipia exiſtimatis pro libertate veſani ſpiritus veſtri permitti licitè ſubditis fidem datam Principibus Catholicis violare (quos*

vos impiiſſimi & perditiſſimi hæretici, impios, hoſtes Dei, vrſos, leones, & omni nece dignos cenſetis) atq; adeò contra legitimum magiſtratum arma ſumere: ideò ſcilicet putatis Catholicos omnes veſtri ſimiles eſſe, ac fidem datam pro arbitratu ſuo poſſe quemlibet fallere; aut Reges & Principes ſuos ſolio expellere. Non ita perturbata Catholicæ Religionis eſt diſciplina, nec talem conſuetudinem admittit Eccleſia Dei, in qua omnia inſtituuntur ordinatè, nam & Principes legitimè ac paternè à Chriſti Vicario admonentur erroris non ſemel, ſed ſi ita res exigat, frequentius; deinde ſi ſpretis monitis ſalutaribus ceu ingrati filij oportuna remedia contumaces reſpuant, tum demùm ad canones ſacros, & leges Eccleſiaſticas, & ad reliqua arma ſpiritualia tanquam ad vltimum atque extremum in deſperatione ſalutis decurritur. Verùm de hoc tam diſpari iudicij vel animaduerſionis ordine, de infelicitate Principum, qui colla ſubmiſerunt impuris miniſtris conſiſtorij Caluiniani; & felicitate eorum, qui Romanum Pontificem Chriſti agnoſcunt Vicarium, totiusq; populi Chriſtiani patrem ſpiritualem, conſule librum editum contra perſecutores tuos Anglos, & iuſtitiam Britannicam, vbi hæc doctè & piè, nec minùs eleganter ſunt tractata

PVCK.

H Quod porrò vltimo loco de exilio dictum eſt, ſanè ſic ſtatuo, illam libertate donare nihil eſſe aliud, quã de malo in peius gradum facere, maximè cùm & hoc coniurati, & nonnulli quoque Principes ei coniuncti ardentiſſimè ſitiant atque deſiderent, quippè qui eius libertatem ideò iam diu expetiêre, vt, quando inuaſio fieret, eam veluti caput & Principem contra Maieſtatem veſtram erigerent.

CONFVTAT.

H *An hæc tua ratio firma ſatis cenſenda ſit inter Chriſtianos Principes de occidenda Regina Scotiæ, iudicent alij,*

quorum

quorum intereſt, ego tantùm quid mihi videatur ediſſeram. Vos, itemq́ Proceres veſtri propter infinitas iniurias illatas ſummo Pontifici, Regi Catholico, Regi Chriſtianiſſimo, Regi Scotiæ eiusq́ matri pientiſſimæ meritò timetis, ne Principes iſti coniunctis animis & armis Proceres veſtros omnis rebellionis in Francia, Belgio & Scotia fontem atque originem tandem aliquando ad pœnam depoſcant, vltricibusq́ flammis vindictam ſumant de tot ſubditorum myriadibus (vobis inſtigatoribus) occiſis, de tot ciuitatibus & pagis ſuccenſis, de tot templis ac monaſteriis euerſis, de immaniſſima crudelitate in Sacerdotes Dei, & perſonas Deo conſecratas exercita: videtis deinde immanem veſtram barbariem haud probari nobilitatis veræ & antiquæ Proceribus, nec multum placere ipſis veſtris fraterculis Caluinianis; animaduertitis populum Anglicanum ſupra vires grauatum, & tantùm non à vobis oppreſſum, & in ſeruitutem Babylonicam redactum; ac poſtremò ob oculos, & ob animum ſemper verſatur Catholica ac verè pia Princeps Regina Scotiæ, quæ ſi corona regia ſuo tempore decorata fuiſſet, conatura erat proculdubio à vobis horum facinorum auctoribus rationes expoſcere; ac proinde præclariùs vobiſcum deinceps actum iri putabatis, ſi priùs eam è medio tuliſſetis, quàm ad id faſtigium aſcenderet, ex quo rationem factorum poſtulare à vobis ſuo iure potuiſſet, imitati ingratos illos agricolas, qui poſteaquam occidiſſent ſeruos varios Domini ſui ad ſe miſſos, tandem & filium aggreſſi, ſe mutuo in cædem eius ita animabant: Hic eſt hæres, venite, occidamus eum, & habebimus hæreditatem eius. Et apprehenſum eum eiecerunt extra vineam, & occiderunt. *Matth.21.* *Sed videte, ne id vobis eueniat, quod illis euenturum prædictum fuit.* Malos malè perdet, & vineam ſuam locabit alijs agricolis, qui reddent ei fructum temporibus ſuis. *Iudæi admodum*

modum ſibi ſapere videbantur, cùm ad modum ve-
Ioan.11. *ſtrum philoſophantes dicerent :* Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit? ſi dimittimus eum ſic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent noſtrum locum & gentem. *Sed fefellit eos aſtutia ſua; nam ideò venerunt Romani, & exciſa ciuitate vltimum nefariæ genti exitium pepererunt, quia ſanctum Domini occiderant; & veriſimile eſt idem quoque vobis euenturum, quod maioribus veſtris olim ſimilia tentantibus euenit. Iacobus Nothus cum ſociis perfidis, vt ſuam ſynagogam Caluinianam firmaret, ſeq; & ſuos in ſolio regali commodiùs collocaret, Henricum Stuartum Mariæ maritum crudeliſſimè occidendum cur[illegible] & ipſam Reginam variis criminibus iniuſtè onerat[illegible] perpetuis carceribus (vobis in hoc multò humanior) mancipauit; ſed poſtea ſceleratus iuſto Dei iudicio & ipſe ſclopo traiectus exſpirauit. Guilielmus Auriacus Princeps, vt hæreſim ſuam ſanguinariam, & peſtilens Caluini venenum in Belgio ſpargeret, Regem ac Dominum ſuum prouinciis exuere hæreditariis, honore ac fama impiis circumprouincias miſſis libellis ſpoliare, ac denique vita, ſi licuiſſet, ipſa expellere temerario auſu enixus eſt. Sed quid tandem? Tot periuriorum, rapinarum, cædium, etſi ſeras, non leues tamen ſenſit ille pœnas inuicta Burgundionis dextra, eodem quo Iacobus ille Nothus fato ſublatus. Ludouicus Condei Princeps à Beza Patriarcha & eius farinæ apoſtatis, rex, ſi Deo placet, Francorum inauguratur, poſtquàm ſtatuiſſent ſicarij Caluiniani regiam ſobolem vnà cum rege adhuc puerò inaudita tyrannide & flagitioſa nequitia letho dare, ſed eius tam nefarij facinoris authores meritas poſteà luêre pœnas, honore ſimul ac vita priuati. Ioannes Dudlæus Leceſtrij veſtri pater, cùm Mariam Reginam Catholicam, & ſororem eius Elizabetham Reginam veſtram corona regali priuare ſuoſq; catulos in ſolio collocare moliretur, quid aliud denique merce-*

mercedis loco retulit, quàm mortem eiuſmodi proditore dignam? Cuius veſtigiis cùm Leceſtrius veſter, & vos ſatellites eius in necanda Regina Scotiæ inſiſtatis, eoq; cogitationes veſtræ omnes, eo nocturna, eò diurna cura tendant, vt peſtiferis eiuſmodi, atq; furore plenis machinationibus, inſano errore mortalium pectora imbuatis, par, vindice Deo, reliquum eſt, vos omnes maneat exitus.

P V C K.

Ad has rationes addidit Prolocutor quaſdam alias depromptas ex literis Reginæ Scotiæ, & confeſſione Babingtonij præcipui ex coniuratis, & ſceleris ipſius adminiſtri. Ex quibus apparuit, quàm mens eius malè conſcia præſenſerit, quid denique expectandum ei eſſet, ſi machinationes erupiſſent in publicum, quòd nimirum arctiorib. ſaltem vinculis in arce Londinenſi eſſet habenda, niſi quid grauius etiam accideret; & præterea, quòd hortata ipſa fuerit Babingtonium, vt ſi in eius liberatione aberraret, perſequeretur alterum, id eſt, Maieſtatem veſtram è medio tolli laboraret: idemque Babingtonius confeſſus eſt, ſtatim poſt mortem Maieſtatis veſtræ aut exterorum inuaſionem, ſtatuiſſe ſe Reginam Scotiæ denuntiare Angliæ Reginam, nec quicquam de felici negotij ſucceſſu fuiſſe anxiũ. Quapropter cùm aduerſarij tantopere quærant mortem Maieſtatis veſtræ, vt Reginam Scotiæ ad gubernacula regni collocent, fieri non poteſt, vt Maieſtas veſtra ſit ſecura, ſi incolumis Reginæ Scotiæ vita permittatur.

C O N F V T A T.

Quæ deinde addis de literis Reginæ Scotiæ & confeſſione Babingtonij, firmiorib. ſunt probanda argumentis, quàm nuda aſſertione. Norunt enim omnes viri cordati, à vobis non eſſe alienum, & literas fingere, & confeſſiones edere, & crimina publicare, quæ ne per ſomnium quidem iis venêre in mentem, quos iniquis accuſationibus appetitis.

RESPONSIO SECVNDA ELIZABEthæ Angliæ Reginæ ad proceres & eorum deciſionem.

Non defuerunt rationes conſulendi ſecuritati Reginæ Angliæ, vitæ Reginæ Scotiæ, & ſecuritati Reipublicæ, ſi impij conſiliarij non prætuliſſet propriam libidinem communi vtilitati.

PLena laboris & doloris eſt illa via, cuius initium ac finis moleſtiam reddit pro præmio, quod ex itinere difficili expectes. Enimuerò hodierna luce experta in me maiorem ſum animi æſtum, loquendumné mihi an tacendum eſſet, quàm vnquam in vita mea aliâs. Nam ſi loquor, & non lamentor, diſſimulaſſe videar; ſi taceo, veſter incaſſum labor ſuſceptus ſit: vt verò lamenter aut conquerar, rarum quidem eſt, & inuſitatum. Etenim paucos vos inuentuross arbitror, qui ſua ipſius cauſa aut moleſtia vos affecturi ſint aut cura. Attamen vnum edico, vehementiſſimè id me deſideraſſe, ex veſtra vti conſultatione aliqua alia manaret ratio, qua & meæ conſultum fuiſſet ſecuritati & communi omnium proſpectum ſaluti, quàm ſit ea, quam ſupplices mihi proponitis.

Conſidera tecumô Regina, iniuriã quã intuliſti, cũ ea quam accepiſti.

Cogor (vt id quod eſt, ingenuè dicam) non de vobis, ſed apud vos de cauſa propoſita conqueri, quòd videam ex veſtris definitionibus, petitionibus & deſiderijs id nimirum effici, vt mors eius, quæ iniuriam mihi attulit, cenſeri debeat ſecuritas vitę meę. Quamobrem ſi quiſpiam repertus fuerit tam in me iniquus, vt in ſpeciem me hactenus cogitet protuliſſe diem, & oſtentandæ clementiæ, ſiue auræ captandæ popularis gratia iudicium ampliaſſe, is tanta me profectò afficit iniuria, vt eam vix vnquam eluere poſſe videatur; aut ſi quiſpiam vel minimam inanis gloriæ cogitationem ſibi fingat, tantam is mihi contumeliam inurit, quantam vix vlli vnquam creaturæ; id quod optimè ſcilicet nouit ille, qui effector eſt cogitationum vniuerſarum.

Scrutabor Ieruſalem in lucernis & viſitabo ſuper viros defixos in facib ſuis. Sophoniæ 1.

Iam verò, ſi arbitretur delectos à me Proceres ad cauſam

cauſam hanc pertractandam, non agere aliter auſos fuiſſe, ne fortè malam apud me gratiam inirent, aut ſuſpectos ſe mihi præberent, vt qui ſaluti meæ fauere non viderentur; aliud certè nihil hic, quam prauum in me & iniurium animum adfert.

* Nam Proceres, quibus ius dicendi pro me munus aſſignatum eſt, niſi neglexerint officium, vobis omnibus declararunt, id vnicè me deſideraſſe, vt quiſque conſcientiam in negotio propoſito ſequeretur, & in totius cauſæ progreſſu vocis & opinionis vteretur libertate; tum ſi quid præterea publicè proferre nollet, id mihi ſecretò reuelaret.

* *Quid egerint Proceres delecti in cauſa Reginæ Scotiæ, dies docebit, vbi ad tribunal & ipſi venerint & vocati fuerint ad quæſtiones; id vnum conſtat, eos maxima ex parte fuiſſe crudeliſſimos hoſtes Reginæ Scotiæ. Si Regina Angliæ id nimirum requiſiuiſſet, vt quiſque conſcientiam ſuam & æquitatem cauſæ ſequeretur, ſuaq; voluiſſet conſultum æſtimationi, cur non curauit cum Iudicibus ſuis delegatis, aliorum etiam Principum legatos coniungi, vt ſic citra omnem ſuſpicionem vel odij, vel praui affectus, & ſententiam illi protuliſſent, & Regina Scotiæ ſuam ipſa cauſam defendiſſet, id quod in rebus minoris momenti & ſubditis ſuis aliquando à Principibus conceditur?*

Quod ſanè ideò feci, quia maximoperè deſiderabam aliquam aliam rationem inueniri expediendi difficultatem, in qua fateor me plus accepturam fuiſſe conſolationis, quàm ex vlla alia re, quæ ſub ſole inuenitur.

Et quoniam vos iam definijſtis ſecuritatem vitæ meæ conſiſtere non poſſe, ſine Principis exitio, meritò queri compellor, quòd quæ tam multis pepetci rebellibus, & tot coniurationes hactenus diſſimulaui, vt ne protulerim quidem in lucem, vel ſilentio interdum

De clementia Reginæ Angliæ legatur Sanderus lib. 3. de Schiſma te & Concertatio Eccleſiâ Ca-

tholica in Anglia. præterierim, eò redigerer modo, vt hanc intenderem actionem tam illuſtri perſonæ mihi neceſſe eſſet.

Si falſa sũt quæ in libris ſcribũtur, cur nõ confutantur? nam poſt funera ſera erit defenſio. Vidi præterea ex quo tempore ad huius regni gubernacula ſedi, & audiui varios libellos infamiæ & contumeliarum plenos in me, regnum & ſtatum vniuerſum conſcriptos, quibus tyrannidis accuſabar, ſed gratiam illis pro ea ſtipe habeo, ſiquidem exiſtimo noua & rara quædam eos ad aures meas perferre voluiſſe, & reuera hæc auribus alioquin meis rara & noua ſunt, atque vtinam tam nouum eſſet & peregrinum de illorum audire impietate & ſcelere.

** Nota verba, ſigna myſteria; pro virgine ponitur iã puella.* Quid ergò iſti modò non effutiant, cùm in publicum ſpargetur, Reginam * puellam, vt vitæ ſuæ conſulat ſecuritati, effudiſſe ſanguinem cognatæ propriæ? Iuſtè igitur queri poſſum, ſi crudelitatis à quoquam inſimulanda ſim, à qua tam longè abſum, vt ipſi Deo iniuriam factura ſim, ſi tam contemptam atque abiectam ab eo me indolem accepiſſe fatear. Quare denuntio vſque eò me ab omni crudelitate alienam eſſe, vt pro vitæ meæ conſeruatione Reginam Scotiæ ne appellem quidem vel attingere cupiam; neque tantum laboraui vt vitam meam protraherem, quantum vt vtriuſque meam ſcilicet & illius ſeruarem: quod equidem tam arduum eſſe, atque adeò fieri non poſſe, vehementer doleo. Non ſum ita à ratione & iudicio inops, vt periculum meum non cernam; nec tam ignara, vt non intelligam me ſtultitiæ meritò arguendam, ſi gladium, quo iugulum meum appetatur, teneam: nec tam negligens, vt non conſiderem quotidianum periculum vitæ meæ: verum hoc attendo, plurimos eſſe, qui vitam ſuam diſcrimini obiecturi ſint pro Reginæ ſalute, non me dico id effecturam, interim id animis tenere veſtris, illa de re etiam me cogitaſſe. Sed quoniam tam multi & calamos & linguas contra me armarunt, ſinite obſecro, vt aliquid pro me ipſa dicam, vt priuſquam ex conſilio domum diſcedatur, intelligatis

quæ-

quænam illa ſit cuius tantam curam & ſolicitudinem geris.

Quemadmodum ergò meipſam infinitis quaſi nominibus vobis obſtrictam agnoſco, vt qui vitam meam omnibus modis conſeruare ſtuderis, ita profiteor, nullum in orbe terrarum Principem futurum, qui maiori quàm ego ſtudio, benè de vobis mereri, ac veſtra officia compenſare ſit laboraturus. Atque vt vos priſtinam video retinere in vita mea conſeruanda diligentiam, ſic perſuaſum habeo vices me gratitudinis omninò rependere non poſſe, niſi tot me vitas poſſidere, quot vos omnes habere ſcio, contingeret; dabo tamen operam vt quoad vixero, hoc beneficium veſtrum agnoſcam. Quare etſi iuſtam me prædicare, & omnis noxæ inſontem non valeam, imò potius ob meametipſius varia ſcelera, quibus diuinum numen offendi, conueniat me condemnare, in hac tamen Reip. gubernatione conſtituta, illud deſiderio in primis, vt conſilia atque ſenſa animi mei prorſus habeatis explorata.

Si cupiuiſſet Regina Angliæ grata eſſe, & de benemeritis benè mereri, longè aliam præſtare ſe debuiſſet erga Regem Catholicum, & alios, quib. ſuam vitam acceptam ferre debet.

Quando ſceptrum huius regni primùm ſuſcepi, nō ita me ampliſſimus honor extulit, vt eius à quo id acceperam obliuiſcerer. Quare eam quoque religionem, in qua me natam & enutritam haud ignorabam, & qua vitam me finituram ſpero, ſtatim vt par erat, ab ipſis regni incunabulis firmandam & ſtabiliendam duxi. Et quamuis ne id quidem me fugeret, quanta pericula mihi hæc tam inſignis rerum conuerſio creare poſſet, quàm multi etiam & potentes religionis aduerſæ principes omni ſtudio hiſce conatibus meis obſiſterent, quàm graues denique omnium in me inimicitias concitarem, hæc tamen vniuerſa non tanti æſtimaui, probè ſciens, illum cuius gratia hæc omnia facerem, & poſſe & velle me defendere. Hæc vna cauſa eſt, quòd iam inde à regni initio me perſecuti ſint, & tot inſidijs caput hoc appetierint, vt potiùs ad-

Sunt qui lætantur cùm malefecerint & exultāt in rebus peſſimis. Prou. 2.

Quàm nouerunt Caluiniſtæ amplificare res ſuas, & ex

muſca fa-cere ele-phantem? Seruus ille qui cogno-uit volun-tatem Do-mini ſui, & non præ-parauit, & non fecit ſecundum voluntatē eius, vapu-labit mul-tis. Luc. 12. Notæ ſunt virtutes & dignitas Le-ceſtrij, Ci-cilij, Baco-ni, Bram-lei, Walſin-gami, Hat-toni, Booti, Claulei, & ſimiliū. Hoc an fa-ctum ſit in cauſa Regi-næ Scotiæ, & multorū Catholico-rum, ſuo tempore patebit.

huc in viuis eſſe me obſtupeſcerem, quàm non mortuam admirarer, niſi manus præpotentis Dei præter hominum & opinionem & expectationem hactenus me conſeruaſſet.

Progreſſa deinde longiùs ad ſcholam experientiæ, mecumque perpendens quidnam regem agere potiſſimùm deceret, inueni illum non probè inſtructum, qui iuſtitiæ, temperantiæ, fortitudinis, atque ſapientiæ præſidio eſſet deſtitutus. Atque de poſterioribus quidem duabus virtutibus, quod ſexus haud permittat, nihil mihi arrogabo; ad priores verò quod attinet auſim dicere, in ſubditis nullum vnquam agnouiſſe me perſonarum diſcrimen, vbi æqualis omnium iuſtitia fuit, nec quenquam ad honoris faſtigium eduxiſſe, quem non dignum anteà cenſui: nec ita vni parti aures præbuiſſe, vt priùs quæ dicerentur vera crederem, quàm audijſſem alteram, neque tam inopem fuiſſe à iudicio, vt id praua mente corrumpi paterer, non diligenter antè cognita cauſa. Neque diffitebor, multa ad me referri potuiſſe ab ijs, qui cauſam priùs audiuerant, quorum præiudicio, & ſtudio partium actio corrupta ſit, ſiquidem nobis qui Principes ſumus, non integrum eſt omnium cauſas audire; hoc interim audacter enuntio, ſententiæ meæ veritatem, & exactam cauſæ notitiam nunquam defuiſſe; nam vt olim Alcibiades amico conſuluit, ne antè reſponſum daret, quàm prima literarum elementa cogitatione percurriſſet, ita neque ego præcipitare cauſarum definitiones ſoleo, ne priuatas quidem, & meam duntaxat perſonam concernentes: quod vos vnà mecum & ſentire & dicere non ambigo.

Quod ergò ad conſilia veſtra attinet & conſultationes, plena ea eſſe ſapientiæ, honeſtatis, & æquitatis mihi perſuadeo, magnamque in ſe continere prouidentiam & curam ſecuritatis vitæ meæ (quam longiorem tamen non deſiderem, quàm expediat bono

veſtro)

veſtro) & licet nunquam pares tantis veſtris in me meritis gratias referre videar poſſe, dabo tamen operam vt intelligatis hæc veſtra obſequia voluntatis optimè affectæ non malè collocata, enitarq́; vt eiuſmodi ſubditis me dignam præſtem.

In prima reſponſione dictum fuit, hac conſilia de occidenda Regina Scotia in cauſa fore, cur Anglica natio turpi apud omnes perfidia nota inureretur quomodo ergò poterunt eſſe ſapientia, honeſtatis & æquitatis plena?

Iam verò vt poſtremo loco ad veſtram petitionem accedam, id rogo vt in præſens hoc reſponſo contenti eſſe velitis, abſque reſponſione; neque verò iudicia veſtra improbo, vel abijcio rationes, neque ſecùs hæc, quàm decet interpretor, ſed vt gratum hunc, atq; beneuolum animum meum accepetis, eumque in tam perplexa cauſa fluctuantem, purgatum habeatis, & per hanc denique reſponſionem boni conſulatis, obteſtor: non quòd ſtandum meo iudicio exiſtimem, cui equidem non tantùm tribuo, cùm priuatos homines multos eſſe ſciam, qui me licèt dignitatis faſtigio ſublimiorem, hoc tamen in genere antecellunt. Quare ſi dixero poſtulatis annuere me non poſſe, plus fortaſſe, quàm in animo ſentiam, dixero; ſi contrà omnia me facturam recipio, iam non mediocre periculum ei acceſſo, in quo conſeruando omnem vos induſtriam exercitam habetis. Quod ſanè prudentia veſtra ac ſolertia, loci temporiſque conditione perſpecta neutiquam expedire iudicabit.

EDICTVM OBSIGNATVM MAGNO *ſigillo Angliæ, quo Elizabetha Regina promulgat & declarat ſententiam capitis latam in Sereniſſimam Reginam Scotiæ.*

Elizabetha Dei gratia, Angliæ, Franciæ, & Hiberniæ Regina, defenſatrix fidei, &c.

POSTQVAM certa fide non ita pridem nobis relatum eſſet, varias (proh dolor) *machinationes, initas fuiſſe, & comparatas, quæ directè non ſo-

lùm Regiam noſtram perſonam appetebant, ſed etiam ſtatus noſtri euerſionem, tàm per externorum principum inuaſiones, quàm per domeſticorum rebelliones minitabantur, quæ à Regina Scotiæ in regno hoc ſub noſtra protectione commorante, alijſque ſceleratis hominibus eiuſdem Reginæ adminiſtris, & coniurationis ſocijs ſuſceptę fuerunt, quemadmodum ex confeſſione coniuratorum (qui propterea ſupplicijs huiuſmodi facinoribus dignis iuxta patrias leges ſunt affecti) notum eſt & manifeſtum.

* *Magnas verborum acies video, coniurationes ſcilicet ſtatus euerſionem, externorum Principum inuaſionem, domeſticorum rebelliones, &c. Sed nec militem viderunt Angli adhuc, nec claſſes Principum externorum niſi fortè imaginarias (quæ tamen ſufficiunt Caluiniſtis ad occidendos innocentes) nec ſtatus euerſionem cerno nec domeſticorum rebelliones vllas intueor. Et tamen hæc omnia ſplendidè hîc proponuntur, vt imperita plebs credat Proceres Angliæ nihil ſpectare, quod non iuſtum atq; honeſtum ſit; cùm tamen in tota hac actione nec iuſti, nec honeſti vel minima ſcintilla reluceat.*

Et verò tametſi prima fronte non fuerimus leuiter commotæ, atq; offenſæ, cum audiremus, & diligentiùs nobiſcum conſideraremus immanem atrocitatem facinorum, quæ molita eſt illa Princeps noſtri ſexus & ſanguinis, cuiuſq; vitam nos non ſemel tutatæ ſumus, atq; conſeruauimus, nihilominus † veriſſima eſſe, quę ad nos deferebantur, non potuimus non credere, vbi audiuerimus & viderimus cauſæ proceſſum, eaq; quæ tùm ab ipſa Regina * tùm à cæteris ſuis coniuratis ſpŏtè & liberè, nemine cogente, crimina ſua confitentibus dicta ſunt, & in medium producta; quæ ſanè huiuſmodi fuerunt, vt ex illis planè conſtaret, perduelles & coniuratos Reginæ Scotiæ auſpicijs, perſonæ noſtræ & regno ruinam intentaſſe.

† De

† *De fictitiis coniuratorum confeſſionibus iam anteà egimus, vt operæ pretium non ſit idem hoc in loco repetere.*

* *Quàm bellè hæc cohærent cum ijs quæ Prolocutor antè protulit? Ille enim velut argumentum id impœnitentiæ adduxit, quòd Regina Scotiæ crimen fateri nollet, Elizabetha etiam faſſa eſt priuatis ſe literis eam adhortatam; vt ea quæ explorata haberet, fateri vellet: quod tamen illa non fecit. Et nihilominus hîc illam ſua ſponte nemine cogente crimina ſua confeſſam aſſerit Regina Angliæ.*

Quapropter cùm cauſæ ratio ex ſe indicaret periculum graue eſſe, nec vlla ratione diſſimulandum, ſed potius quàm primùm declinandum, ac pœnas debitas coniuratis infligendas: * Viſum fuit nonnullis Proceribus, nobilibus alijsque ſubditis noſtris chariſſimis, nos ſeriò admonendas eſſe, vt ſine dilatione, de huiuſmodi machinationibus ac periculoſiſſimis coniurationibus Reginæ Scotiæ contra perſonam noſtram & regnum inſtitutis, inquireremus, ijsque medijs quàm citiſſime vteremur, quæ primò ſeſe offerrent ad præcauenda pericula imminentia, & ad mandandum executioni ea quæ decreta ſunt.

* *Viſum fuit Proceribus, & reliquæ hominum perditorum turbæ, quorum virtutes anteà explicuimus; nam ſi ex antiqua nobilitate quiſpiam interfuit, is ad pompam actionis vocatus eſt, vt veluti mutus perſonam ſuſtineret, tragœdiam interim totam pro ſuo libito dirigentibus Leceſtrio (per ſuos ſeruos) Cicilio, Cancellario, Walſingamo, Puckeringio & ſimilibus ſocijs, crudeliſſimis pientiſſimæ Reginæ hoſtibus.*

Nos tamen ægrè admodum potuimus induci, vt ei actionem intenderemus, partim ob proſapiæ ſplendorem, partim etiam ob perſonæ eius dignitatem, quamuis iuxta communes leges regni noſtri per fas id li-

cuerit; Ac proindè rem diligenter perpendentes huiuſmodi proceſſum prætermiſimus, quia hoc parum decebat ſtatum eius & perſonam noſtram, ac grauiori vtentes conſilio, ſtatuimus eo modo, qui ex regni legibus iudicatur honeſtiſſimus, ad criminis cognitionem procedere, ſecundum ſtylum ac normam Parlamenti factam 24. Nouembris, anni regni noſtri 27.

Dedimus ergò commiſſionem in ſcriptis obſignatam maiori noſtro ſigillo, & ſubſignatam in caſtro noſtro Windſorienſi comitatus noſtri Barckſchire, ſexto Octobris præterlapſi, ſecundùm formam ſtatuti iam dicti, deſignatis quibuſdam † Proceribus, Comitibus, Baronibus, & alijs clariſſimis viris, non ſolùm conſilij noſtri priuati, ſed etiam Parlamenti, vnà cum primarijs aliquot iudicibus curiæ noſtræ Weſtmonaſterienſis, vt hi omnes numero 47. examinarent, & diligenter inquirerent de * deſignatis & conceptis machinationibus cùm Reginæ Scotiæ Mariæ nomine, filiæ & hæredis Iacobi quinti Regis olim Scotorum, (quæ vulgò Regina Scotiæ, & Franciæ vidua appellatur) tùm aliorum eiuſdem coniuratorum, ſecundum tenorem prædicti decreti Parlamenti; & ſententiam ſecundum cauſæ naturam ferrent, quemadmodum ex ipſa commiſſione clarius licebit perſpicere.

† *Erant hi Proceres crudeliſſimi hoſtes Reginæ Scotiæ vt antè dictum eſt, & propterea non admittendi ad tribunal.*

* *Summi Sacerdotes accuſabant etiam Chriſtum Saluatorem in multis; ſed probatione opus erat, non accuſatione.*

Poſteà verò maior pars Procerum, nobilium, * Cõſiliariorum, & Iudicum in commiſſione noſtra deſignatorum, numero ſcilicet 36. pro tribunali ſedentes in loco publico caſtri noſtri Foderinghaienſis diuerſis

uerſis diebus & temporibus examinarunt omnia argumenta, delicta, crimina, & cætera ad ea ſpectantia, prout in noſtra commiſſione relata erant, de quibus Regina Scotiæ accuſabatur; & præterea cum omni † fauore & clementia audiuerunt, quæ prædicta Regina vel fecit, vel pro ſua purgatione adferre potuit. Deinde his omnibus ſic peractis; viceſimo primo Octobris proximè præterlapſi, prædicti Commiſſarij, & Iudices delegati vno aſſenſu, & conſenſu poſt maturam deliberationem, ſententiam * pronuntiarunt, & prædictam Reginam Scotiæ in formam ſequentem iudicarunt.

* *Dies veniet, quo iſti præclari Iudices cogentur veritatem fateri, vbi ad neruos & fidiculas veſtras ventum fuerit.*

† *Verè potuit pia Regina cum Chriſto dicere: Si vobis dixero, non credetis mihi; ſi autem & interrogauero, non reſpondebitis mihi, neque dimittetis. Luc. 22. nam illo fauore & clementia vos illam audiuiſtis, quo Iudæi Chriſtum. Sed veniet ſuo tempore, qui iuſtitias veſtras iudicabit.*

* *Mane facto conuenerunt omnes Principes Sacerdotum & ſeniores populi, & Scribæ aduerſus Ieſum, vt eum morti traderent. Matt. 27.*

Quod ſcilicet poſt primum diem Iunij anni 27. regni noſtri, & ante datam noſtram commiſſionem, Antonius Babingtonius, & alij eiuſdem generis agitauerint, & ſuſceperint varias machinationes & coniurationes, quibus regalem noſtram perſonam interimere voluerunt, quodque horum omnium dicta Maria ius obtendens ad coronam regni Angliæ, conſcia * fuerit.

* *In Anglia etiam Princeps externa ob cogitationes & aſſenſum voluntatis occiditur.*

Similiter quòd poſt primum diem Iunij præfati, & ante datam commiſſionem, prædicta Maria ius ad

eandem coronam obtendens excogitarit, & varia in hoc regno noſtro * machinata ſit ad noxiam, & euerſionem regalis noſtræ perſonæ, contra tenorem antedicti decreti.

* *Quid potuit machinari mulier arctiſſimis vinculis conſtricta?*

Cœperunt autem Iudæi Chriſtum accuſare dicentes: hunc inuenimus ſubuertentem gentē noſtrā, & prohibentem tributa dare Cæſari & dicentem ſe Regem eſſe. Luc. 23. Sanguis eius ſuper nos & ſuper filios noſtros. Et oratio eius fiat ei in peccatū. O nimiam virginis Caluinianæ clementiam qua in ſchola

Hanc itaque ſententiam, & hoc iudicium ſuum prædicti commiſſarij noſtri vnanimi conſenſu curarunt ſcriptis mandari, ijsque diligenter examinatis, & cum inſtrumentis cæteris proceſſus collatis propriis ſuis manibus ſubſcripſerunt, ſicut nobis expoſitum eſt, & copioſius ex ipſis inſtrumentis patet. Deinde verò Proceres & cæteri ordines ac ſtatus regni noſtri in Parlamento more ſolito congregati, audientes & conſiderantes circumſtantias, vim & euidentiam argumentorum, quibus prædicta commiſſariorum ſententia innitebatur, & videntes magna, & manifeſta pericula, quæ non ſolùm perſonæ meæ, ſed totius etiam regni ſaluti imminerent, ſi illa ſententia executioni non mandaretur, ad nos adierunt, & nixi genibus humiliter & obnixè petiuerunt, ác communibus precibus obteſtati ſunt, magniq́ue momenti rationibus perſuaſerunt, inſtiterunt, & quaſi vim attulerunt, vt ſententia, quam Commiſſarij noſtri pronuntiarant, & ordines regni in Parlamento confirmarant & approbarant, per noſtrum edictum maiori ſigillo munitum publicaretur, & euulgaretur, ac deinde executioni mandaretur.

Cæterùm ordines & ſtatus Parlamenti, quamuis viderent noſtram perſonam ex illorum inſtanti petitione, & ex immanium facinorum indignitate vehementer offenſam, pro nimia tamen noſtra clementia contra communes ordinum preces differre ſententiæ executionem, aliamq́ue rationem inquirere per ordines Parlamenti, qua poſſent citra necem Reginæ Scotiæ illa infelicia, & peruerſa conſilia in nos, regnum,

regnum, & ſubditos noſtros concepta auerti; tamen poſt multa colloquia & diuerſas conſultationes communibus ſuffragiis, ac vnanimi conſenſu certis temporibus ad nos redierunt, variis argumentis declararunt, & conteſtati ſunt nullam aliam ſupereſſe rationem conſeruandi, & ab iniuriis defendendi perſonam noſtram Regiam, poſteros noſtros, & Rempub. niſi per publicationem & executionem ſententiæ latæ in Reginam Scotiæ.

Chriſti ſumma eſt crudelitas.

Hæ rationes ſuperiùs ſunt examinatæ.

Quamobrem non ſolùm grauiter offenſæ & maximo mœrore affectæ, ſed etiam importunis † precibus ordinum & ſtatuum regni noſtri deuictæ, (quorum curam & ſolicitudinem conſeruandæ Reipub. & perſonæ noſtræ maximam experimur, ac proinde eorum iudicia plures facienda ducimus quàm cæterorum, quorum nihil intereſt) ac etiam intelligentes prædictam ſententiam honorabiliter, legitimè & iuſtè latam eſſe ſecundùm leges regni noſtri, tandem ceſſimus illorum voluntati, & iuxta ſtatutum prædictum hoc noſtro edicto maiori ſigillo regni munito declaramus, notum facimus, & denuntiamus omnibus noſtris ſubditis & perſonis quibuſcunque, quòd prædicta ſententia capitalis lata ſit in Reginam Scotiæ ad modum, quem antè diximus, cuius ſententiæ cognitionem, & certam ſcientiam per hoc noſtrum edictum cupimus vobis omnibus innoteſcere.

Nos legem habemus, & ſecundùm legem debet mori.

† *Percipiet Regina Angliæ ſuo tempore fructum huius conſilij ſui, pluris facientis iudicia paucorum perditorum hominum, quàm honorem proprium, & Principum potentiſſimorum auctoritatem.*

Volumus etiam hoc noſtrum edictum ad curiam Cancellariæ noſtræ referri, atque cum omni celeritate tempore & loco debito executioni mandari ſine vlla exceptione. In cuius rei teſtimonium mandamus huius noſtri edicti publica fieri inſtrumenta, atq; ſub-

ſubſignari & maiori noſtro ſigillo muniri. Datum in caſtro noſtro Richemont. 4. Decembris anno 1586. Regni verò noſtri 29.

NARRATIO SVPPLICII ET MORTIS

1. *1. Mariæ Stuartæ Reginæ Scotiæ, Dotalis Franciæ, decollatæ in Anglia decimo octauo Februarij. 1587. ſtylo nouò in Caſtello Fodringhaye.*

ADDITIS SVCCINCTIS QVIBVSdam Annotationibus & notis.

I. HVIC 1. *Reginæ Mariæ non defuiſſe perſecutiones hæreticorum à natiuitate ſua vſque in diem glorioſi martyrij ſui, patet ex Ioanne Leſlæo, natione Scoto, Epiſcopo Roſſenſi Catholico, & Georgio Buchanano Caluiniſta, hiſtoriæ Scoticæ ſcriptoribus, qui inter alios ſunt celebriores. Eius perſecutiones obiter enumerat Buchananus lib. 17. rerum Scoticarum, fol 583.*

II. Elizabetha Regina Angliæ, 2. detectis varijs inſtinctu tum Papæ, tum nonnullorum aliorum vicinorum Principum ſuæ Maieſtatis inimicorum, conſilijs & conſpirationibus eandem S. Maieſtatem non ſolùm Regno & corona, verùm etiam vita ſpoliandi, ſimulque carcere liberandi, & ad Angliæ imperium euehendi Mariam Stuartam Reginam Scotiæ, proxi-
III. mam S. Maieſtatis hæredem, Romanæ ac 3. Catholi-
IV. cæ fidei ſectatricem; & præterea 4. multis iam annis in libera cuſtodia in Anglia detentam, indeque ſæpius à Parlamento, ſeu ſtatibus Regni Scotiæ ad ſuppli-
V. cium reuocatam & repetitam, 5. ob necem mariti
VI. ſui, quem ipſa prius iuſſerat 6. ſtrangulari, domumque puluere tormentario incendi & euerti, idque in gratiam

gratiam Comitis Bodvvel, quem iam pridem ſummo amore deperibat, poſtmodumque in maritum ſuſcepit, quæ eam ob cauſam ſemel in Scotia capta, 7. coronam regni in manus filij ſui Iacobi, nunc Regis Scotię, reſignarat, ſed poſtmodum perfractis carceribus, inſtruxerat in filium, quo cum regno iterum priuaret, exercitum, ſed infeliciter re geſta fugiens, in Angliam delata, ibidemque à Scotis, tanquam rea mortis mariti ſui multis apud Maieſtatem ſuam accuſata, beneficio Maieſtatis ſuæ vitam ſeruauit, vt pote quæ nollet de ea, quæ eſſet ſibi tam propè ſanguine iuncta, iudex eſſe, quia tamen ipſa aliàs 8. titulum regni Angliæ ſibi vſurparat, Maieſtas ſua cùm ad ſuæ perſonæ Regnique ſui pericula vitanda, ac ditionum pacem, 9. religionisque ſecuritatem retinendam, tùm etiam ad pacem cum Scotis conſeruandam, omninò liberam eam dimittere non potuit. VII. VIII. IX.

2. *Vnde quæſo conſtat tales, quales hîc referuntur, conſpirationes initas? Sed demus initas eſſe, quid hæc ad miſeram captiuam, quæ ſub poteſtate Reginæ Angliæ detenta, mille oculis obſeruabatur?*

3. *Notandum hîc optimæ Reginæ Catholicam religionem pro crimine imponi. Et ſanè, ſi verum fateantur Angli, hæc ſola mortis eſt cauſa.*

4. *Violato iure conſanguinitatis, & hoſpitalitatis, quod etiam Ethnicis ſemper ſacroſanctum fuit, captiua detenta ad annos nouendecim.*

5. *Crimen hoc* Parricidij *ab hæreticis commentum, & falsò innocentiſſimæ Reginæ impoſitum eſt, quod proprium eſt cùm omnibus hæreticis, tùm maximè Caluinianis, quibus nihil antiquius, quàm accuſare falsò, reosq́; criminum grauiſſimorum agere Catholicos, ipſi corporis & ſanguinis Dominici rei. De antiquis hæreticis teſtatur hoc Theodoretus, libro primo hiſtoriæ Eccleſ. cap. 30. & Socrates lib 1. hiſtor. cap. 20. & 22 De noſtris hæreticis recentioribus vide Cochlæum in actis Lutheri, & Bolſe-*

cum

cum in vita Caluini. Sed domeſtica exempla in vno Belgio, imò & in vna ſola Batauia tot ſunt, vt ad libros recurrere non ſit neceſſum.

6. *Qui ſtrangulatus eſt, oportet vt contuſum quid, aut liuidum in eius collo conſpiciatur. At in Henrico Reginæ marito, nihil fractum, contuſum, aut liuidum apparuit, vt teſtatur Buchananus, infenſiſſimus Reginæ Scotorum hoſtis, libro rerum Scoticarum decimo octauo, folio 623. editionis Francof.*

7. *Coronam quidem Regni reſignauit, non ſponte, ſed ad hoc coacta à ſua Maieſt. perduellibus: non quòd illam filio inuideret, ſed quòd ad regendum inepto tanquam puero trium annorum ſciret filiolo ſuo peſſimos hæreticos protectores ſufficiendos: à quibus & regnum pro Caluiniſtarum libidine regeretur, & puer in hæreſi enutritus, nomine quidem Rex eſſet, ſed nunquam ſua vteretur libertate: quæ ſuſpicio Reginam non fefellit.*

Ann. 1585. *Ante triennium enim, annos natus viginti & vnum, cùm ad libertatem aſpiraret, Sterlingæ in manus hoſtium ſuorum, qui hactenus eius nomine abuſi erant, ſeſe dedere coactus eſt: quorum adhuc imperio Rege indigno paret. Videbat hæc prudentiſſima Regina futura, ideoq; & ſibi, & puero proſpectum volebat: ſed indigniſſimè capta, infirmæ valetudinis excuſatione, vel alio quouis honeſto prætextu ſimulato, regnum eierare, & filium in manus hæreticorum tradere compulſa eſt: quòd grauatè tandem fecit, ait Bucchan. vide eum fol. 646. Non ergo capitale eſt, ſi Regina nata Regnum ſibi per vim ereptum armis recuperare, & pia mater innocentem filiolum ſuum ex hoſtium tam animæ, quàm corporis manibus liberare tentauerit.*

8. *O nefas, non aliter quàm ſanctiſſimæ Reginæ ſanguine expiandum: rectè autem dicitur hîc Reginam hunc titulum vſurpaſſe, non vltrò aſſumpſiſſe, cùm Henricus Francorum Rex, anno Salutis 1555. eam Scotiæ, Angliæ, & Hiberniæ Reginam ſalutaſſet: cùm ipſa vix 12. eſſet annorum.*

annorum. Vide Leſlaum lib. 10. *rerum Scoticarum pag.* 545.

9. *Crimen igitur etiam erat Catholica Religio, ob quod dimitti non poterat innocentiſſima. Imò ſi omnes Reginæ hoſtes, tàm Angli, quàm Scoti verum fateri velint, hoc vnicum eſt. Reliqua omnia commenta & populo ſuggeſta, vt ſub ſpecie & prætextu magnorum ſcelerum ipſa redderetur omnibus inuiſa, vt ſecuriùs in illam ſæuiendi haberent oportunitatem. Hoc non ex vno, ſed pluribus Buchanani locis facilè fit manifeſtum, qui nihil ferè frequentius cauſatur in ſua Regina, quàm quod Catholicam ſectabatur religionem, cui in primo ſuo ex Galliis reditu, cùm iam Regni adminiſtrationem primùm ſuſcepiſſet, non eſt permiſſum, vt ipſa in Sacello quotidie vnam Miſſam priuatam audiret. Vide Buchan. libro decimo ſeptimo, fol.* 584. *&* 590. *Homines verò triobo-li, tenebriones, & quiſquiliæ, feceſq; populi hæretici, niſi ipſis magnifica templa, plenumque ſuæ ſectæ exercitium detur, arma ſumunt, templa inuadunt, ſacra profanis miſcent, & tandem in Reges & Principes ſæuiunt, eoſq; regnis expellunt, capiunt, ad necem poſtulant, & occidunt. Exemplo ſunt Scoti, Angli, Galli, Belgæ, &c.*

Itaque in libera detenta cuſtodia, conceſſo pro dignitate ipſi famulatu, permiſſaq; pro placito venatione & aucupio, quoties vellet: tamen minimè quieuit; ſed omne ſtudium ad libertatem recuperandam, etiam per mortem ſuæ Maieſtatis adhibuit: ad quod perficiendum ex nobilitate nonnullos, 10. vt ducem Nortfolciæ, aliosque comites, & nobiles inſtigauit, qui proinde miſerè ſupplicijs affecti perierunt. X.

10. *Nuſquam probatur Reginam captiuam Nortfolcium contra Reginam Angliæ concitaſſe, nec vllam veriſimilitudinem præ ſe fert.*

Poſtremò proximè 11. elapſa æſtate, quæſiuit modum & rationem, qua S. Maieſt. in propria aula occi- XI.

deretur, regnum ab extraneis inuaderetur, ipſa libertati reſtituta ad vtriuſque Regni faſtigium eueheretur, Catholica religio vtrobique inſtauraretur, perſuadendo ſibi & ſuis, quòd hoc modo cœlum promererentur, &c.

11. *Deſunt hîc probationes, cùm neque teſtibus conuicta, nec impoſita crimina confeſſa referatur.*

XII. Quamobrem ſua Maieſtas præmiſſa de tantis delictis inquiſitione, eandem in præſentia ſuæ Nobilitatis & Officialium Regni, ad propriam defenſionem euocari curauit, & ſiſti, 12. reamque inuenit.

12. *Mirum, cùm Angli quid ante examinationem Reginæ Scotiæ, & quid poſt illam actum ſit; ipſi iam ſcriptis ediderint: eius tamen confeſſionem, & ad obiecta crimina reſponſiones non edant. Quod autem ſparſerint aliquas literas proditionis, inter Reginam & Babingtonium conceptas, id facile factu eſt, vtroque iam aut mortuo, aut condemnato. Hac enim arte iam toties vſi ſunt Caluiniſtæ, vt eorum nundinationes iam lippis & tonſoribus innotuerint. Quid vobis ſcribere, quid comminiſci, tutum non eſt, de his, qui & accuſati, & examinati, & damnati ſunt ab iiſdem, qui ſanguinem eorum ſitiebant, nullo æquo iudice, vel patrono, vel incorrupto teſte præſente?*

XIII. Nihilominus prædictos ſtatus regni & Parlamenti iuſſit deliberare de medijs conſeruandi, tam vitam ſuæ Maieſtatis quàm regni & 13. religionis integritatem, abſque tamen Reginæ Scotiæ nece, vt cui tam arcto ſanguinis vinculo iungeretur, & quia Domina & Princeps erat, alterius iuriſdictioni non ſubiecta, quam extremo ſupplicio afficere, res ferè ſine exemplo foret, &c.

13 *Erat ergo perfidia Caluiniſtica innocentis Reginæ ſanguine ſtabilienda. O miſera religio, quæ ab vna pendet fœmina. O fundamentum, cui non aurum, argentum, & lapides pretioſi ſunt ſuperſtruendi: ſed fœnum & ſtipula. Credite mihi, vbi ventus & pluuia venerint, domum*

mum veſtram euertent. Si non ſanguinem innocentem, ſed ſecuritatem veſtram quaſiuiſſetis, potuiſſetis eam arctiori cuſtodiæ mancipaſſe: neque enim Maga erat, quæ vobis inuitis aut inſciis, ſuis oculos viresq́; veſtras potuiſſet eludere præſtigiis.

14. Attamen Parlamentum executionem poſtulauit, quòd ipſius vita & ſuæ Maieſtatis interitus, & certa regni religionisque ruina eſſet: verùm ſua Maieſtas etiam ab exteris conſilio poſtulato, nominatim à 15. Franciæ & Scotiæ Regibus, qui ſuos apud ſuam Maieſtatem hac de cauſa habebant Legatos, nullam ſufficientem rationem, qua ſuæ Maieſtati de ſecuritate ſatis cautum eſſet, inuenire potuit, licet illi condolentes Reginæ, conſiderata tanta perſonæ eius dignitate, & exempli raritate, ſtudioſè interceſſerint. XIV. *Ne fortè veniant Romani vel Hiſpani, & tollant noſtrũ locum & gentem.* XV.

14. *Hæreticorum ſtrophæ ſunt, in quos rectè conuenit, quod ſcriptum eſt:* Ibi timuerunt, vbi non eſt timor. &, Qui timent pruinam, irruet ſuper eos nix.

15. *Secùs narrantur hæc à ſyncerioribus, qui dicunt ſententiam mortis ad Francos miſſam, & à Iuriſperitis Galliæ, vt nullo iuri ſubnixam, reprobatam.*

Hinc ſua Maieſtas diu anceps præ ſe tulit, quaſi eius vitæ vellet parcere. Verùm non ita multò poſt 16. rurſus nouis conſpirationibus in ſuam Maieſtatem detectis, quarum nonnulli etiam Legati, & quidam ſuæ familiæ conſcij deprehenſi ſunt: accedente etiam fœdiſſima proditione Stanley & Iorck, 17. qua ciuitas Dauentria & propugnacula ante Zutphaniam in hoſtium poteſtatem venerunt, quæ omnia ad maiores machinationes, liberationem ſcilicet promotionemque Reginæ Scotiæ, & depoſitionem ſuæ Maieſtatis tendere videbantur: tandem ſua Maieſtas decreuit originem & cauſam tantorum malorum è medio tollere, mandatumque expediuit, de Regina Scotiæ vltimo ſupplicio afficienda. XVI. XVII. *Mortis ſententiã in innocentiſſimam latã.*

16. *Noua calumnia ex eodem quo precedentes, veniens myropolio. Non enim hæc plus, quam illa, probata, nec veriſimilis eſt. Quid quaſo potuit captiua in terra aliena? vbi nullos habebat amicos? vbi ſunt illa leges in Catholicos rogata, vt nec Geta, nec Scytha habuerint vnquam ſeueriores? qua omnibus immeritò erat inuiſa, quaq; firmiſſimo præſidio clauſa tunc ſeruabatur?*

17. *Hic aſinum produnt aures. Ex hoc vno loco patet nihil ſoliditatis aut virium habere hanc iniuſtam Regina accuſationem & condemnationem. Quid enim capta ſeu prodita Dauentria vel ad ſalutem Regina Scotia, vel ad exitium Anglia? Ciuitas in alio quaſi orbe, in alio regno, ducentis plus amplius miliaribus Anglicis Londino ſita, latiſſimo mari interiacenti, quid obeſſe potuit Anglis? quid prodeſſe captiua? Alia vrbes, vnde commodior in Angliam traiectus eſt, in poteſtatem Regis Hiſp. venerunt, & nemo conqueſtus eſt.*

Itaque licet data & ſubſcripta eſſet à ſua Maieſtate ſententia, tamen iterum deliberare ſua Maieſtas conſtituit; ſed in eo ab officialibus ſuis iam ſententiam ſubſcriptam habentibus, non ſine magno ſuæ Maieſtatis dolore (eam etiam ob cauſam Secretario Daudſon in carcerem coniecto, & plerisque alijs in ſuæ Maieſtatis indignationem lapſis, aſſumpti ex eo tempore veſte nigra & lugubri) præuenta fuit, ſententiaq; modo, qui ſequitur, executioni mandata.

Ex virtute commiſſionis & mandati ſuæ Maieſtatis per Secretarium Beale delati, iuſſi ſunt comites de Schrasburij, & de Kendt, tanquam tunc temporis viciniores caſtello Fodringhaye, & alij Domini, Equites, Nobiles, & Satrapæ prouinciæ ibi præſentes apud Dominum Amiam Paulet, & Drue Druyrij, quibus cuſtodia arcis commiſſa erat, ſententiam exequi, qui pridie voluntatem ſuæ Maieſtatis Reginæ captæ denuntiarunt: quæ reſpondit, paratam ſe eſſe, idque diu expectaſſe, quærens quando ſtatuiſſent exequi; qui ſe

Die Martis 17. Februar. ſtylo Gregor.

id in

id in eius arbitrio relinquere reſponderunt, modò commiſſioni ipſis datæ ſatisfiat: & melius fore ſi poſtridie fieret, die ſcilicet Mercurij 18. Februa. ſtylo nouo: inde Deum orare ad ſuam ipſi gratiam imperti-endam, &c. multas excuſationes proferre, & ſummam neceſſitatem proponere, quæ ſuam Maieſtatem & totum regnum ad hanc reſolutionem impellerent, ſimulque orare, vt patienter ferret, pluresque ibi aliæ rationes, monitiones & quæſtiones tractabantur. *Feria quarta quatuor temporum poſt cineres.*

Poſtera itaque die, quæ 18. Februar. fuit, manè hora ſeptima, conuenere ad dictum Caſtellum prædicti Domini, Comites, Equites, Nobiles: ex Equitibus ſingulis conceſſum fuit, vt duos alios ſecum introducerent, reliquis vnum tantum, vt circiter octoginta vel centum homines, exceptis qui erant è familia & cuſtodia arcis, præſentes iſtic eſſent.

In maiori aula extructum erat theatrum latum pedes duodecim, altum duos, cinctum ſæpimento altitudinis pedum duorum, omnia tecta panno nigro, in medio ſedes vna, & puluinaria. His ita præparatis congregati ſunt Domini, intra octauam horam & nonam, miſeruntque ad Reginam, qui indicaret ſe cõueniſſe, vt præcedenti die poſt meridiem ei denuntiatum fuit, cupereq; ſcire, quando parata foret: is nuntius cubiculum eius omni familia incluſa obſerarum inuenit. Quod vt Domini intellexerunt, paulò poſt ſecundò miſerunt cum mandato, ſi nondum oſtium pateret, pulſandi, &, quod iuſſus erat, indicandi; ſed is ianuam apertam inueniens, per quendam ex eius famulis, quod in mandaris habebat aperuit, vt Domini eius voluntatem cognoſcerent; qui reſponſum retulit, nondum eſſe paratam. Poſt mediam horam miſerunt tertiò, qui eam poſt mediam horam fore paratam nuntiauit. Paulò poſt quidam ex Satrapis aſcendit ad Reginam, quam cum ſuis pediſſequis

& famulis genibus flexis orantem inuenit, dicens tempus appropinquare. Quo audito ſurrexit, & reſpondit ſe paratam eſſe. Sic ducta à duobus viris familiæ arcis è cubiculo ad anteriorem cameram, quam vocant Præſentiæ, inuenit ibidem omnes domeſticos ſuos ſtantes & flentes, quos omnes vt Deum timerent, ſuis ſuperioribus obedirent, & ſimilibus verbis hortata eſt, inde ſingulis valedixit, fœminas oſculando, manum exoſculandam viris præbendo, orans vniuerſos ne contriſtarentur, ſed gauderent potius, & pro ſe orarent.

Pia Reginæ exhortatio conſolatoria ad ſuos domeſticos.

Hinc ad gradus deducta, Dominos iſtic ex aula venientes obuios habuit: Comes Schrasburij accedentem ſic alloquebatur: Adſumus Domina, vt exhibeamus Regiæ M. commiſſionem & mandatum vt expediatur, quod tibi denunciauimus (quam commiſſionem, ſeu ſententiam, Comes a Kendt in manu habebat, maiori Angliæ ſigillo munitam) cui id reſponſi dedit; malle ſe mori, quàm viuere. Conuertens autem ſe, ſuum primarium miniſtrum Meluin vidit, cui ait: fidelis ſerue Meluin, licet te eſſe putem de Proteſtantibus vnum, ego verò Catholica ſim, vnuſque tamen tantùm Chriſtus ſit, & ego Regina nata & Regina tua vncta, ex Regis Henrici VII. ſanguine, mando tibi vt quemadmodum coram Deo rationem reddere voles, verè meo filio dilectiſſimo nunties quæ tibi dicam; videlicet me cum orare, vt Deo ſeruiat, Catholicam Eccleſiam manu teneat, ſuum in pace Regnũ gubernet, nec ſe cuiuis alteri (quod & ego ſemper feci) ſubijciat, licet cum hac Inſula ipſius vnire Regnum deſiderarim, ſed nunc id ei liberũ relinquo, vt & ipſe ſic ſeruet, nec prudentiæ mundanę nimium confidat; neque enim id ſemper commodum erit, verùm in Deo ſpem ſuam ponat, diligenterque aduertat, ne male ſuſpicandi occaſionem Reginæ Angliæ præbeat, tunc Deus benedicit illi. Et tu Meluin mihi

Vox digna martyre ad cœlum aſpirante.

Pia mandata filio nuncianda.

mihi teſtis eſto, me mori fidelem Scotam, fidelem Francam, fidelem Catholicam, vti ſemper profeſſa ſum: & eiuſmodi plura. Ad quæ Meluin: Veneranda ac ſuprema Princeps mea, ſicut me fidelem tuæ Maieſtatis hactenus ſemper ſeruum præbui, ſic etiam nunc per Dei gratiam, hæc tuæ Maieſtatis verba & mandata, verè ac fideliter Regi filio tuo perferam. Conuerſa indead Dominos rogabat, vt liceret ſacerdoti ſuo, ſibi in theatro adeſſe, quod ei Domini negarunt. Deinde vt & ſuos domeſticos omnes præſentes habere poſſet, quo Regi Franciæ, & alijs teſtari poſſent, ſe Catholicè defunctam eſſe: Aliter conſtitutum eſſe, reſponderunt Domini, ne illi ſua impatientia & lamentationibus animum eius inquietarent aut turbarent, illis adhibitis ſuperſtitionibus. Poſtremò è famulis quinque, cum duabus pediſſequis ei conceſſi ſunt: Quandoquidem querebatur aliàs malè ſibi ſeruiri, & maiorem comitatum pediſſequarũ ſuæ dignit. reſpectu petebat, ſpondens futurum, vt nec earum lachrymis, nec clamoribus impediretur: orabat ad hæc, omnibus miniſtris ac domeſticis ſuis vtriuſque ſexus ad ſuos in patriam liberè redeundi, vt poteſtas fieret, comitatu, qui ſecuros deduceret, addito, &c. vt ſinguli abſque vllo impedimento vel arreſto ſeruare poſſent, quæ ipſis donaſſet: Secundò dicens hæc verba: Domini mei per Deum adiuro vos, vt ita fiat. Poſt hæc deducta eſt ad theatrum à duobus miniſtris gubernatoris arcis, in quo, quia conſiſtere commodè non poterat, in ſede reſedit, Comite vtroque etiam in theatro conſidente; vbi tum Secretarius Beale, literas mandatæ executionis clara voce legit. Reginæ veſtitus idem erat, in quo etiam antè comparuerat coram Dominis & Officialibus regni, ex nigro nimirum & precioſo holoſerico: vna manu ferebat crucem ligneam vel oſſeam, cum effigie Chriſti ex ea dependentis, altera librum: eiuſdem

Proteſtatio digna Principe Catholica religionis.

Prima Reginæ petitio impiè reiecta Secunda improbè negata.

Quod ſalua honeſtate negari nõ poterat, conceditur.

An hoc ipſis concedetur, probabit exitus.

Habitus Reginæ decens & pius.

Tentatio diabolica per ministrum Calvinianum. è collo aurea crux pendebat, de cingulo verò roſarium. Proximus ei quidam doctor aſtabat Decanus Petrus Borumgus, qui eam de dominorum mandato hortaretur, vt Chriſto fideret, & Chriſtianè moreretur; quem exhortari incipientem ipſa impediuit, clara voce petens, & mandans, vt taceret, ad mortem ſe ſatis paratam aſſerens: eo verò reſpondente, ſe aliud nil dicturum, quàm quod ſibi mandatum eſſet, *Vicit Regina Catholica improbum Calviniſtam.* & veritati conforme. Plura in hanc ſententiam dum proferret, iterum ipſa exclamauit, Sile Magiſter Decane, nolo te audire, nihil mihi tecum negotij eſt, turbas me: illam itaque ne perturbaret, indictum ei ſilentium eſt. *Alia tentatio per Comitem.* Porrò Comes à Kendt dixit: vicem tuam Domina doleo, eo etiam nomine, quòd inania hæc & ſuperſtitioſa in manibus tuis videam; cui reſpondit: crucifixi Chriſti effigiem vt præ oculis haberet decere ſe, quo illius recordaretur. Subiecit ille, oportere eam Chriſtum in corde ferre, addens (ipſa licet recuſante audire) ſe pro ea oraturum (etiam ſi ab Altiſſimo oblatam gratiam nolit recipere) vt Dominus ipſi peccata condonet, eamq; in regnum recipiat. *Iterũ miniſter Reginã turbare nititur, cuius orationem ſua vincit ipſa Regina.* Ad quæ illa, ora tu, & ego quoque orabo. Decanus verò prædictus flexis ad gradus genibus, clara & intelligibili voce efficacem orationem, actui conuenientem recitabat, orans tam pro eius Maieſtate ſua ſuprema Domina, quàm pro regni proſperitate, eandem populo & ſpectatoribus ſimul cum ipſo orantibus. Quod ipſi dum facerent, Regina clariori voce, propriam ſuam orationem latinam pronuntiabat, prædictam crucifixi Chriſti imaginem manibus tenens. *Vox Reginæ ad exemplum Chriſti.* Finita prece carnifex flexis genibus veniam ab ipſa petijt, quam ipſa libenter, & illi & omnibus qui hactenus eius ſanguinem ſitiuiſſent, ſincere cõceſſit, ſicut à Domino ſibi condonari peccata cuperet; deinde ardentem & affectibus plenam precationem flexis genibus recitauit, Deum pro remiſſione omnium pecca-

catorum ſuorum in genere rogans, dicens, ſperare ſe per Chriſti mórtem, eiuſque effuſum ſanguinem, conſecuturam ſalutem æternam, ſeque proſtratam pedibus eius, quem illa crucifixi imago repræſentabat, ſponte lubentique animo ſuum quoque ſanguinem profundere. Orabat præterea pro felici ſtatu Reginæ Angliæ, optans ei vt multò tempore benè & pacificè regnum gubernaret, Deoque fideliter ſeruiret: pro totius Inſulæ proſperitate, & afflictiſſima Chriſti Eccleſia rogans. Pro filio deinde ſuo Rege orans, iuſtam & pacificam ſui regni adminiſtrationem, in vero Dei cultu, & conuerſionem ad Catholicam Romanam Eccleſiam precabatur. Poſtremò ſanctorum omnium eo die pro ſe interceſſionem petebat, exoptans, vt Deus per ſuam immenſam miſericordiam dignaretur auertere flagella ſua ab infelici hac inſula, peccatorum ſibi omnium remiſſionem concederet, animamque corpore ſolutam, per angelicas manus in cœlum reciperet.

Quibus peractis ab oratione ſurgens, ad excipiendam mortem ſe præparare cœpit, depoſitis ornamentis, & tunicam exuens, adiuuantibus eam duabus pediſſequis ſuis; cùm verò vterque lictor quoque iuuare vellet, dixit ſe hactenus non conſueuiſſe coram tanta multitudine ſpoliare ſe veſtibus, neque talium nobilium opera in eo vti. Demiſit autem exteriorem veſtem ad medium vſque; interioris tunicæ pars ſuperior ſic exciſa erat profundè circa collum, vt vndique illud nudum exhiberet, in dorſo vero ligula conſuta, multùm in omnibus iſtis abſoluendis feſtinans, pediſſequis oſculum præbens valedixit, quarum altera magna voce lachrymante, ſile, ait, noli plorare, nonne ego pro vobis ſpopondi vos nullum clamorem edituras? quin eſtote hilares: eiſque manu benedicens, mandauit illis è theatro vt d ſcederent: ſic verò iam præparata, conuerſa ad miniſtros, qui in vicino loco flexis

Magna cõſtantia & forti animo ſe ad mortẽ præparat.

Teſtes inuocat ſe Catholicam mori.

Magna virtus in ſexu fragi-

li, quam donauit illi, qui martyres ſuos fortes & inuictos facit. Oratio conuenientiſſima in mortis ſuæ articulo.

flexis erant genibus, ſigno crucis manu formato, eis benedixit, iubens eoſdem teſtes eſſe, quòd Catholicè moreretur? rogans, vt pro ſe orarent, & ſubitò in genua procidit magno & intrepido animo, abſque omni coloris mutatione, nullo mortis timoris ſigno edito. Altera deinde eius pediſſequa accedens, linteo ipſius oculos velauit, ſicque flexis genibus clara voce orabat Pſalmum L X X. In te Domine ſperaui, non confundar in æternum, in iuſtitia tua libera me, &c. quo finito conſtanter corpus inclinans, collum trunco impoſuit, clamans magna voce: In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum.

XVIII. 18. Altero autem lictorum manus eius infernè detinente, alter vtraque manu ſecuri eam bis feriendo, caput præcidit, ſic vitam cum morte commutauit.

18. *Humaniores igitur, & in Principes ſuos ciuiliores Catholici Belgæ Anglis hæreticis. Cùm enim Egmundanus & Hornanus Comites Bruxellæ capite plectebantur, expreſsè mandatum eſt carnifici, ne corpora eorum manibus ſuis attrectaret. Angli ne hoc quidem ſolatium fauent morienti Reginæ Scotorum Rege natæ, & Chriſtianiſſimi Regis matrimonio quondam magis nobilitatæ.*

Lictore deinde caput leuante, & ſpectatoribus exhibente, clamarunt omnes: 19. Dominus ſeruet Reginam noſtram, ſicque pereant vniuerſi hoſtes verbi Dei & ſuæ Maieſtatis inimici, Amen.

XIX.

Dum verò Lictor ſic caput eius teneret, ornatus decidit, videruntque illud canum valdè iam eſſe, & capillos non ita pridem ad cutem vſque fuiſſe reſectos.

19. *Impia vox populi. Clamant Iudæi: tolle, crucifige. Clamant Angli: ſic pereant vniuerſi; &c. Clamant Catholici, clamant & Angeli in cœlis: Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine. Viuat Regina martyr cum Chriſto in ſecula, Amen.*

20. Nihil veſtimentorum & ornamentorum eius relictum fuit lictori, ſed pretium eorum ipſi datum; quæcunque verò ſanguine eius quouis modo erant aſperſa, tam in lictore, quàm alijs, ſublata ſunt, & ſtatim abluta, etiam aſſeres theatri: ater verò pannus, qui ſanguinem exceperat, & alio eo tincta ilicò in ignem coniecta exuſta ſunt, ne vlli ſeruirent ſuperſtitioni. Corpus eius relatum fuit in arcem, & balſamo conditum, repoſitum in loculo eſt, paratum ad ſepeliendum; quo verò loco id futurum ſit, adhuc incertum eſt. Domeſticis & miniſtris iniunctum eſt, vt ibidem remaneant, priſtinum ſtatum & ſplendorem conſeruantes, aliò non concedant, quòd exiſtimatur continuandum, donec honorificè alicubi ſepulturæ mandetur. Nata erat tunc Regina annos circiter quadraginta quatuor, Princeps formoſiſſima, omnes ſuæ ætatis pulchritudine ſuperans. Primò nupſit Franciſco ſecundo Francorum Regi, eo defuncto, Henrico Stuart, filio Comitis de Lennox, iuueni pulcherrimo (ex quo genuit modernum Regem Scotiæ) quem non ipſa, ſed hæretici curauerunt occidi: poſtremò demum matrimonio iuncta fuerat Comiti de Bodvvel, qui in Dania captus amens obijt. XX.

20. *Vide execrandam in Martyrem impietatem, ne ſanctas reliquias colligerent fideles In hoc Angli Pſeudo-chriſtiani Ethnicos Gallos ſub Vero Imperatore ante annos M. CCCC. imitantur, qui omnia, quæ martyrum erant, concremabant, & cineres in Rhodanum ſpargebant. Ne, inquit Euſebius, vlla eorum reliquiæ amplius ſuper terram reſtarent, atq; ita cum corporibus eorum quoque memoria periret. Sed commouebit Dominus impios à fundamentis, & vſque ad ſupremum deſolabuntur, & erunt gementes, & memoria illorum peribit. E contrariò: in memoria æterna erit iuſtus, ab auditione mala non timebit. Fallax gratia & vana eſt pulchritudo, mulier timens Dominum ipſa laudabitur, ait Sapiens.*

Eccle. hiſt. lib. 5. cap. 1.
Sap. 4.
Pſal. 111.
Prou. vlt.

Dum

Dum prædicta fieret executio, clauſa manſit arx, nec vlli licuit antè egredi, quàm Magiſter Henricus Talbott, filius Comitis Shrasburij miſſus eſſet ad aulam; poſtridie morte Reginæ Scotiæ Londini nun-
XXI. tiata, 21. ciues paſſim in plateis ignes excitarunt, & in lætitiæ ſignum campanas pulſarunt. Gaudebant enim ſe ab imminenti periculo, cui eius cauſa multo tempore expoſiti fuiſſent, liberatos.

Eſa. 14. 21. *Ne læteris Philiſthæa omnis tu, inquit propheta, quoniam comminuta eſt virga percuſſoris tui: de radice enim colubri egredietur Regulus, & ſemen eius abſorbens volucrem. Inconſtans eſt, & ludit in humanis rebus fortuna.*
Eſa. 24. *Sæpè magnis accidiſſe nouimus illud Eſaiæ: Ingemuerunt omnes qui lætabantur corde: Ceſſauit gaudium tympanorum, quieuit ſonitus lætantium, conticuit dulcedo citharæ: Attrita eſt ciuitas vanitatis, clauſa eſt omnis domus nullo introeunte.*

Cæterùm ſola 22. Regina Angliæ magnum animi dolorem ſe concepiſſe oſtendit, quòd præter ſuam expectationem executio ſententiæ accelerata fuiſſet, de qua conſtituiſſet adhuc deliberare maturiùs. Ab eo verò tempore vſque ad decimum octauum Martij anni 1587. quo datæ hæ fuerunt, cuncta hic in Anglia ſunt tranquilla, ſperamus deinceps quoque pacem & quietem ſic continuandam, & quod Regni & ſuę Maieſtatis hoſtibus magnus non fruſtra incutietur metus, quodq; Principibus ac Ducibus exemplo futura ſit, ne à Deo ac iuſtitia deflectant, quantumuis in hoc mundo putentur pœnarum metu ſoluti.

22. *Nemo itaq; Zoilus liuidu nos oculis intueatur, aut dentibus fremat, ſi hæc annotauerimus, cùm & ipſa Regina doleat, & nos vnà cùm illa doleamus, niſi, (quod abſit) illam dolorem ſimulaſſe quis auſit dicere. Sed iuſtam habuit dolendi cauſam, videns ſe tantum in regno proprio non poſſe, vt innocenti ſanguini queat parcere.*

MARIA SCOTORVM REGINA, AB ANGELO EVOCAtur è Scotia in Angliam.

VRBIS amor cœleſtis aue, Triadoſq́; voluptas, I.
Flos æui, populi gemma fidelis, aue.
Inſpexit vacuam labis vitamq́; fidemq́;,
Nunc ad regna vocat nobiliora Deus.
Anglia te regnis ponet melioribus; Angla
Cognatos jubeas me comitata ſinus.

DISCEDIT è SCOTIA.

PRompta ſequor; Scotoſq́; graui non ſaucia cura II.
Deſero, corde ſedent regna ſuperna meo.
Regali frontem cœlo Diademate cingar;
Sola ſtat æternùm regia namq́; Dei.

INGRESSA ANGLIAM AB ANgelo de morte ſubeunda Chriſti nomine, fit certior.

ANnuit optatis genitor; regale paratum̃ III.
Alituum in mediis eſt Diadema choris.
Veſtitur longo fulgentibus ordine gemmis;
Mors capiti imponet ſanguinolenta tuo.
Incorrupta fides mœſto hîc te carcere claudet,
Ne trepida; ſacrum demetet inde caput.
Conſtanti fer cuncta fide, prece numen adora,
Sedula Diuorum vincla, rogoſq́; lege.
Coniugis eſt decorata tui ſat Scotia cade;
Anglia nunc fiet ſanguine clara tuo.

IN

IN CARCERE SANCTISSIMAM Trinitatem laudat pro gratia Martyrij ſibi conceſſa.

IV. *LÆta tuli, te laudo Deus: fero triſtia, ſemper*
Laus tibi, cur? idem triſtia mittit amor.
Læta tuo palmam ſors neſcit in æthere, triſtis
Carcer, & effuſo ſanguine mucro dabunt.

CHRISTO REGI DEVOVET SE ad Martyrium.

V. *REx Superûm, regina tibi quin victima fiam?*
Anteà tu factus victima namq; mihi es.
Grata tuo præbere vicem mens ardet amori,
Redditus an placeat pro cure mucro tibi.
Lethali rapiat mucro mihi vulnere vitam,
Inde tuæ ſubdet perdita regna cruci.
Me tua crux vno rurſum dignetur honore,
Vt mea dilectus crimina mucro leuet.

BEATÆ MARIÆ COELITVM REginæ ſe commendat.

VI. *AStripotens Regina, tuo ſum nomine felix;*
Credo, tua ſed ero ſorte beata magis.
Regia ſim coniunx, & mater, regia proles?
Mater vt es ſummi, filia, ſponſa Dei?
Erro: tuum natus mœſto cor perculit enſe.
Immitti letho me dabit enſe ſoror.
Cauſa ſubeſt, antiqua fides, pia ſuffice robur,
Meq; tua decoret gloria ſortis, age.

ACCE-

ACCEPTA MORTIS SENTENTIA S. Iacobo Apoſtolo, Iacobum filium commendat.

SExu equidem tibi, non animo Dux inclyte cedam, VII.
Ordine, non diſpar vertice tinctus erus.
Suſcipe quem ſimilis pupillum deſero regem
Morte cadens, ſimili dilige amore, tege.
Vnum vos ſociat nomen, prope Scotus Iberq́;
Vna duos iungat gloria, & vna fides.

GRATVLATVR CONIVGI IN SCOtia ab Hæreticis ſtrangulato de ſuo martyrio.

SIc coniunx formoſe thori ad te tranſuolo, ſanctus VIII.
Me tibi iunxit amor, me ſpoliauit amor.
Me rurſum ſociabit amor, quem fune probauit
Mors pretioſa mihi, iam probat enſe tibi.
Vna ambos ſoboles vitalibus intulit auris.
Vna ambos ſoboles dat violenta necі.
Te rapuère viri fateor, me fœmina tollit;
An ego quod fuerim fœmina, tu vir eras?
Crede, caput fuit vnum, author fuit vnus vtriq;
Mortis, ſic ambos ſors feret vna polo.

SIXTO QVINTO PONT. MAX. TEſtatur Fidem, in qua moritur.

PEtra vale fidei Sixte, vrbis paſtor & orbis, IX.
Catholici fateor te gregis eſſe caput.
Te fouet iſta fides, primaq́; in ſede reponis,
Me vita & regnis exuit iſta tribus.
Annuo, ſic viſum Superis. ſunt vtraq; ſummi
Dona Dei, authori eſt debita vita ſuo.

Fæmi-

Fœmineum cadat enſe caput, non Chriſtus ab imò
Corde cadet, fidei qui caput atque tuum eſt.

IACOBVM FILIVM CONSOLAtur, monetque, Hæreticos ne audiat.

X. *NAte vale, me ſancta tui genitoris ad aram*
Lex vocat, at modico tempore nate vale.
Confuſo lachrymans ſum terris ſanguine nata,
Effuſo naſcor ſanguine læta polo.
Enſe fidem teſtata, prius quæ funere Chriſti,
Mox vario Diuûm funere ſtructa fuit.
Grandis honor, ſuperum Chriſti comes ibo ſub axem;
Diuûm magnanimis aſſocianda choris.
Eia age funereos animo depone dolores,
Quæ vitam rapuit, reſtituetq; fides.
Viue memor charæ matris, chariq; parentis,
Viue Iacobe tui nominis vſque memor.
Hæreticis ne crede, Deo qui credere ſpernunt,
Nullam animis ſeruant corporibuſq; fidem.
Iamq; vale rurſum, felix Chriſto auſpice regna,
Regna tibi moriens ad tria ſterno viam.

A REGE CATHOLICO, PETIT Catholicæ Fidei defenſionem.

XI. *VIue Monarcha diu, occaſus cui lucet & ortus,*
Catholicæ fidei gloria, honorq; vale.
Me Chriſto polit enſe fides; mundo altera mater
Intulerat, cœlis inferet iſta ſtatim.
Catholicam ſcelus eſſe fidem gens Anglica fecit,
Fœdifragam dici quam pudet, eſſe nihil.
Proſpice Rex inuicte, tibi quid denique reſtet,
Quæ mihi culpa, fides, & tibi culpa fides.

Vna

Vna duos vbi culpa ligat, lex vna coercet,
Pœna reos vltrix reſpicit vna pares.
Languida formoſi rapuit duo membra leonis,
Tepetet extemplò viribus aucta, lues.
Perfida fata caue, capiti caput obijce; namq;
Fœmineum caput eſt debile, forte viri.
Catholici dignata fides te nomine Regis,
Catholicam forti Marte tuere fidem.
Me Deus, imbellis ſum fœmina, tradidit hoſti,
Te, vir es armipotens, protegit vſq; Deus.

CATHOLICOS SCOTIÆ PROceres monet, filium vt defendant.

CVr Proceres vultum lachrymis pectusq; rigatis? XII.
Veſtra cadit terris, gloria, vita, ſalus?
Siſtite, digna Dei ſunt læto munera plauſu;
Aucta ſtatim ſurget gloria, vita, ſalus.
Quæritis vt ſurget? cuius ſtant omnia nutu,
Ipſe dabit facili ſurgat vt aucta modo.
Purpurea cœlo iungar Chriſti hoſtia turma,
Et fidei, trunco corpore, teſtis ero.
Exitium vobis lachrymabile viua miniſtro;
At vita, trunco corpore, ſemen ero.
Fœmina ſum, me inimicus habet, carcerq́; ſerenda
At fidei, trunco corpore, pignus ero.
Macti animis Proceres rebus ſperate futuris,
Optatam fidei deneget author opem?
Mœrenti paribus Iacobo aſſiſtite in armis,
Grandis in aduerſis gloria, fidus amor.

ELIZABETHÆ ANGLIÆ REGINÆ ignoſcit iniuſtam mortis ſententiam.

ME ſoror accitam, poſt mutua fœdera pacis, XIII.
Promiſſamq́; fidem, viq; doloq; necas?

f *Nulla*

Nulla fides, vbi ſola fides, & gratia nulla eſt.
Non meus id meruit fraude ſolutus amor.
Do veniam; melior quoq; te fortuna ſecundet,
Certa mihi Chriſtus ſpes melioris erit.
Te vanus ſubijt metus, at te denique verus,
Non equidem exopto, poſt mea fata premet.
Cognata Elizabeth venienti occurrerat vltrò,
Addideratq; nouum relligioſa decus.
Prô Superos hominesq;, in me nota nulla piandi
Criminis, allectamq; vt tueare, necas.
Deteriora fero, referam meliora; Tonantem
Exoro, athereis vt potiare bonis.

ANIMÆ MORTEM CORPORIS offert.

XIV. *I Vita ad Superos; duplici te carcere ſoluet,*
Et libertati mors violenta dabit.
Namq; ſacroſanctu flexiſti corpus habenis,
Hoc rurſum à grato corpore munus habe.

ANIMA CARNEM CONfortat.

XV. *FIda vale mentis comes, imperterrita mortem*
Suſcipe, qua noſtri meta laboris erit.
Ambas, ah, nimium ſtrictus non continet orbis,
Æternùm capiet latior orbe polus.

DE ELIZABETHA ANGLIÆ Regina.

XVI. *COgnatam Elizabeth Zacharia præſulis uxor,*
Quod tulerat decus, eſt paſſa referre domum.
Cognata Elizabeth praſul, ſi fœmina præſul,
Prô pudor, innocuum decutit enſe caput.

In prom-

In promptu cauſa eſt; Zachariæ præſulis vxor
Elizabeth, ſancto numine plena fuit.
Sathanico præſul Caluini imbuta veneno eſt
Elizabeth, diraq; impietate tumet.

ALIVD.

STuuartam duro cruciatam carcere plectis,
Et fidei ſanum vis tamen eſſe caput.
Catholicam duro cruciatam carcere plectis,
Perfidiæ haud ſanum te reor eſſe caput.

ALIVD.

STuuartæ Elizabeth læto caput abſtulit enſe, vt
Perfidia, vt cepit, ſic benè ſemper eat.
Ah Deus, inſonti ſæuo caput abſtulit enſe,
Perfidia, vt ſueuit, ſic malè ſemper eat.

ALIVD.

Elizabetha probis cur non aſſueta iuuandis?
Regia laus illi eſt poſſe nocere probis.

MARIAE SCOTORVM REGINÆ EPITAPHIVM LONDINI, in Anglia excuſum.

STemmate Cæſareo, & Scotorum clara, marito
Rege, ac hoc gnato qui modò ſceptra tenet.
Illa ego, quæ ſata ſum regali ſtirpe parentum,
Hoc tumulo paruo contumulata tegor.
Hucq; mea mentis praua imperioſa poteſtas,
Et mea me torſit prò temerata fides.
Stemmata nil faciunt, nil prodeſt ſanguine claro
Cenſeri, ſi animum deuius error agit.

Diſce ſequi rectum, iuſtumq́, tenentia colla
Marmora qui fato noſtra reſecta vides.
Diſcite mortales, quibus eſt mens conſcia noſtri
Conſilij, in dubiis eſſe pericla viis.
Atque meo exemplo moniti deſiſtite, nam vos
Certa, ſed incerto tempore, pœna manet.
Bis ſapit, alterius qui exemplo motus, & ipſo
Sit ſatis hoc noſtro vos didiciſſe malo.

MARIAE SCOTORVM REGINÆ ITEM EPITAPHIum paucis mutatis & adiectis.

STemmate Cæſareo, & Scotorum clara, marito
Rege, ac hoc gnato qui modò ſceptra tenet.
Illa ego, quæ perij nullius conſcia culpa,
Hoc tumulo paruo contumulata tegor.
Meq́, huc Anglorum dolus, & violenta poteſtas,
Et Chriſti traxit non temerata fides.
Stemmata nil faciunt, nil prodeſt ſanguine claro
Cenſeri regnis, in quibus error agit.
Diſce ſequi verum, quicunq́, tenentia colla
Marmora, pro Chriſto noſtra reſecta vides.
Diſcite mortales quibus eſt mens conſcia veri,
Magna ſub hæreticis eſſe pericla dolis.
Atque meo exemplo moniti perſiſtite, nam vos
Certa, nec incerto tempore vita manet.
Bis ſapit, alterius qui exemplo motus, & amplo
Sit ſatis hoc noſtro vos didiciſſe bono.
Perſtiti, & innocuo perfudi ſanguine terram,
Gaudia iamq́, ſequor delitioſa Dei.

EPI-

EPITAPHIVM
MARIÆ SCOTIÆ REginæ.

Viator quiſquis es, hic te volt
Lapis conſiſtere, caueſis pergas
Donec querelas haſce pellegis.

M*Aria Stuarta vita interimor, occido præter ætatem*
& ordinem:
Vah, inaniis oppleta mortalitas,
Vitaq́ fluxior aranearum operis.
Quid iuuat me duplici potitam ſceptro, ſi luſtrûm
Prope quatuor inter cuſtodias, pauens intus, & formidans
Foris, exhæres facta vita mea rapior ad carnificem?
Apage ſacram parenticidam, qua nemo
Fœminarum magis immiſericors cluet:
Egóne viator te celem illius intemperias, quæ maleuolente nata Genio pium ſorbet
Sanguinem, quaue antiquum obtinens hoc
Suum maritumis mecum experitur moribus?
Nempe auſa es Elizabetha ſcelerum caput, quam tu
Poſt feciſti nequam nequiter, indignis Reginam
Exemplis perdere, aduerſumq́ Regum preces, iura,
Leges, bonoſq́ ritus Principum, ire pedibus vt damnes
Æqualem tui
Heu fides Britannorum Punica
Pœnior, inſularis & ſubleſta.
Enimerò cum in terris tranquillus mihi
Locus non ſiet, miris in pietatem
Meam relligionemq́ machinis mandor
Letho, adponiq́ iubeor ad gladij
Violentiam:

 Vt non

Vt non tamen deſpondi ipſa
Animum, neq; mens abfuit:
Ex quo ſceleris interpres ad me; vſurpantq;
Aures ſumma verba
Carnificis, vocato ſacerdote nequicquam,
Chriſtum feliciter ſpirans
Chriſto felicius inſpirante, coram populo demiſi
Regium caput in gladium.
Exin mutilum cadauer in humum vortitur
Solutuſq; tandem anima vinculis ad cœlos remeat.
Ne lugete Errice, Philippeq; Reges, neue tu Iacobe
Fili, quom fatis occupor ante fata, quando morte melius
Nil accidit in malis rebus miſeris.
Neque adeo, quia ſapitis, ſauite vehementius
In tenue paucorum menſium imperium, ſuo
Statim iniquitatis pondere ruiturum. Valete, abite.

TY-

TYPOGRAPHVS LECTORI.

CVM iam fermè excuſus eſſet libellus hic, Lector beneuole, incidi in epiſtolam clariſsimi D. Ioannis Piſtorij, & in carmen quoddam Reuer. Epiſcopi Spirenſis; quorum ille doctè & eleganter Miniſtro cuidam Zuuingliano iter ad Catholicam Eccleſiam demonſtrat; hic cognato, ex Caluini Synagoga ad Petri Nauiculam reuerſo, amicè & venuſtè gratulatur. Et quia mihi certò perſuadebam, vtriusq; lectionem fore tibi perquam fructuoſam & iucundam, nihil prius habui, quàm vt Epiſtola & Carmen cum hac Anglicana hiſtoria coniungerentur; treſq; ſimul Hæreticis veram Eccleſiam oſtenderent: Regina ſanguine; Doctor ratione; Iuriſconſultiſsimus Cameræ Spirenſis Aſſeſſor, facto & exemplo. Vale.

EPISTOLA DOCTORIS IOANNIS PISTORII NIDANI, MARCHIONVM BADENSIVM CONSILIARII, AD D. Iacobum Grynæum Miniſtrum verbi Eccleſiæ Baſilienſis.

Qua demonſtratur, Zvvinglianam non eſſe veram Eccleſiam. Quod idem quoque, mutato nomine, iiſdem planè argumentis de Lutherana rectè oſtenditur.

ACcepi literas tuas (vir clariſſime) plenas ſingularis humanitatis & beneuolentiæ: ad eas quòd paulo reſponderam ſerius, cupio mihi ignoſci, qui & raro domi ſum, & multis profectò diſtineor occupationibus & profectionibus. Etſi verò ne nunc quidem vacuum tempus habebam, quod impertire ſcribendis literis poſſem; tamen detraxi aliquid de negotijs quotidianis meis, tantùm vt de vno capite, quod interpoſitum in epiſtola erat tua, colloquerer tecum, cuius & iudicium & præſtantiam doctrinæ de libris, quos in publicum emitis, admirari iam diu cœpi. De reliquis agemus poſteà.

Rogas

Rogas igitur per patris mei optimi viri memoriam, rogas per Ioſephi contritionem, vt ad ea, quæ in Eccleſia turbata ſunt, pro virili parte mea medicam manum adhibeam, quæ res vna, me in ſumma laude ponere ad Deum & homines poſſit.

De mundi quidem huius & de hominum gloria nihil dicam, quæ me nunquam vehementer ſollicitum habuit; iam quadragenarium factum, &, quod de multis indicijs ſpero, morti vicinum, profectò nihil afficit: neque deinde, quomodo ad ſplendorem huius mundi floreſcam, concupiſcere debeo. Altera, Chriſti gloria, quæ ad meliorem & æternam vitam pertinet, plus apud me ponderis habet, ad quam conferre reliquam ætatis meæ partem, & quemadmodum paranda ſit, deliberare tecum cupio.

Putas tu, ſi ea, quæ à paucis annis malè affecta ſunt, curentur, & Eccleſiæ Marchionicæ conſentiant cum tuis, magnam acceſſionem factam ad Chriſti gloriam; & illud vt fiat, iudicas & meos & aliorum neruos contendi oportere.

Laudo, vir clariſſime quod iubes, neque magnis ſtimulis opus eſt ad me excitandum, qui Dei ſingulari benignitate ſic animatus ſum, vt vim vniuerſam diligentiæ, induſtriæque me conuertere, ad illuſtrandam Chriſti gloriam cupiam, & ad ponendum in eius vinea mei laboris veſtigium. Sed ne erremus, ne dum Eccleſiæ vulnera obligare volumus, vulneremus magis: ne hæreſes ſanemus, cùm ſanare Eccleſiam conſtituimus; conuenire primùm oportet inter nos de Eccleſia: quæ nam, & vbi ſit. Alioqui ne tu rectè fortaſſis iuſſiſti, nec ego rectè morem geram.

Ponere tu quidem videris duo tanquam certa: Eccleſiam tuam, eſſe veram Eccleſiam & Catholicam: & Eccleſiam, quæ decennio iam collecta in Marchionatu fuit, non eſſe Eccleſiam veram & Catholicam. Nam ſi tua vera tibi & Catholica Eccleſia eſſe non

videretur, profectò neque reſtitui Marchionicam, neque conformari ad tuæ Eccleſiæ ſimilitudinem cuperes.

Sed id, vir clariſſime, quod à te ponitur, apud me & alios viros bonos magnam dubitationem habet: non, an Marchionica falſa ſit Eccleſia, quod hoc loco non diſputabo, ſed an tua vera ſit & Catholica, quod diſceptare tecum pro humanitate tua libenter ſines.

Credo te Eccleſiam veram nullam agnoſcere, niſi eam, quæ Catholica eſt, & in Symbolo Apoſtolico credimus, ſanctam Catholicam: & in Nicæno, vnam ſanctam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam. Quæ igitur Catholica non eſt, ne quidem vera, & ne quidem Eccleſia vllo modo erit; & in eo omnia poſita ſunt, vt quid hic Catholicam nominemus, & quæ nam Catholica ſit Eccleſia, liquidum nobis & planum fiat. Sed non dubitare te puto id Catholicum eſſe, quod omnibus ætatibus & prouincijs ſumma conſenſione, poſt aſcenſionem Chriſti in cœlum, fuit de Chriſto creditum inter Chriſtianos, eaque de cauſa, Eccleſiam Catholicam eſſe, quæ a Chriſto inchoata, & ab Apoſtolis exculta, per omnes ætates in nos vſque ex veſtigijs Apoſtolicis peruenit, quæ idem in religione Chriſtiana ſemper ſenſerit, a ſeipſa diſſenſerit nunquam, & quæ ſemper perpetuata, nunquam vel extincta fuerit, vel interrupta. Talis ſi tua erit Eccleſia, erit profectò Catholica; ſi non erit, Catholica certè non erit: Et ne quidem Eccleſia erit, Eccleſia inquam Chriſti.

Cur verò ſuſpicari aliquis poſſit, non eſſe tuam Catholicam Eccleſiam, dicam: Nullum enim ante Zuuinglium cœtum oſtendes, nullam Eccleſiam, quæ tecum & cum Zuuinglio in omnibus, & in maximis religionis partibus conſenſerit; & quamcunque

cunque oſtendes, ego ſemper nullo negotio probabo, non conſenſiſſe tecum. Itaque ſi illa Catholica fuit quam oſtendes, tua, tanquam ab illa diſſentiens, Catholica non erit; aut ſi tua Catholica eſt, conſequitur nullam ante Zuuinglium ab Apoſtolorum temporibus Catholicam fuiſſe Eccleſiam: qua ratione fiet rurſus, vt ne tua quidem Catholica ſit, quæ ante ſe nullam Eccleſiam habuerit, ex Apoſtolorum Eccleſijs continuatam. Sumamus Eccleſiam, quæ Diui Auguſtini, Diui Hieronymi, & æqualium ætate fuit: illa ſi Catholica fuit Eccleſia, vt profectò fuit; quia in iuſtificatione, in doctrina de Baptiſmo, in cœna, in Sanctorum miraculis & reliquijs, in oratione pro Defunctis, in Martyrum inuocatione, in ſexcentis alijs, cum tua non congruit, tua non erit; aut ſi tua eſt Catholica & vera Eccleſia, illorum non fuit: ſi verò illorum non fuit, quæ igitur illa ætate fuit Catholica & vera Eccleſia? Nam nullam fuiſſe, pro tua in ſacris literis doctrina, non dices. Præter iſtam verò, tam multæ hæreticæ ſectæ erant, Eccleſia in mundo nulla erat? & ſi illa Catholica non fuit Eccleſia, ne quidem Irenæi & Tertulliani Eccleſia, Eccleſia fuit Catholica, inter quam, & D. Auguſtini, atque D. Hieronymi Eccleſiam, ſumma interceſſit in omnibus fidei articulis conſenſio. Sic igitur poſt Apoſtolos nulla fuit Eccleſia; aut ſi fuit, nominari tamen vel oſtendi non poteſt. Sed hoc quàm eſt abſurdum?

Primùm, Eccleſia, quæ ex Hieroſolymis in vniuerſum mundum amplificari, cum qua Chriſtus eſſe vſque ad conſummationem ſeculi, in qua Spiritus veritatis in æternum manere, in qua Reges terræ in ſplendore vultus Dei, & Gentes in lumine Dei ambulare, cuius poſſeſſio termini terræ, & hæreditas omnes Gentes eſſe, in qua qui ab Occidente, nomen Dei, & qui ab Ortu Solis, gloriam Dei timere debuerunt,

buerunt, iſta inquam Eccleſia, annis mille & quingentis videri non potuit, nullumque de ſe ſignum dedit, Martyres qui vitam pro Chriſto profuderunt, quorum Eccleſia, Eccleſia ſanctorum Patrum fuit, ſancti eſſe, cum in Eccleſia non fuerint, non poſſunt. Nam ſi in Eccleſia fuiſſent, videri ipſorum Eccleſia, & nominari potuiſſet: & ſi ipſorum Eccleſia, Eccleſia fuiſſet Catholica, tua non eſt.

Deinde ſi nominari Zuuingliana, ante Zuuinglij prædicationem, nulla poteſt Eccleſia, propagata per intermedias omnes poſt Apoſtolos ætates; ne quidem fuiſſe concedam. Nam, vt tu dicis, fuiſſe quidem, ſed nominari non poſſe: ſic ego inferam; quia nominari non poſſit, ne quidem fuiſſe; & quod fuiſſe à te ponitur, eſſe meram imaginationem, quæ nullo poſſit conſtabiliri iudicio, nullo doceri teſtimonio. Nec prodeſt, ſi calamitatibus expoſitam, & ab hæreticis & tyrannis ſuppreſſam eſſe dices, vt ſub crucis integumento videri non poſſet. Nulla enim Eccleſia Chriſti magis & repreſſa & diuexata, & minus adhuc ſuis radicibus defixa fuit, quàm Apoſtolorum Eccleſia: tamen & illa fuit, & vbi fuerit, & quid creditum in illa ſit, & quid tum acciderit, doceri poteſt.

Fruſtra igitur obijcis, extitiſſe quidem ſemper Eccleſiam, ſed ſic obſcuratam, vt in oculos & aures hominum non incurreret; ſi verò & fuit ſemper, & viſa fuit ſemper, & nominari adhuc poteſt Eccleſia Catholica, quæ tum fuit; niſi tuam ad illam aggreges, & niſi nomines, niſi declares, quibus locis Zuuingliana doctrina per omnes annos poſt Apoſtolos tradita, & conſeruata, & ad nos ducta ſit, nunquam probabis Zuuinglianam Eccleſiam, Eccleſiam eſſe Catholicam. Eoque nunquam docebis Zuuinglianam Eccleſiam, eſſe veram Chriſti Eccleſiam; & ſi illam Eccleſiam Catholicam eſſe oſtendere cupies, tamen niſi eandem eſſe confirmabis, quæ tempore D. Irenæi Tertul-

Tertulliani & D. Cypriani, & D. Ambroſij, & D. Auguſtini fuit; cùm tuam Catholicam facere cogitas, damnabis illas omnes Eccleſias, in qua omnes Sancti vixerunt, floruerunt Martyres, regnarunt Imperatores, & ſimul damnabis ſuperiorum omnium ætatum Sanctos & Martyres & Imperatores, vetera illa veteris Eccleſiæ lumina, qui in iſta Eccleſia, & iſtius Eccleſiæ religione vitam & vixerunt & amiſerunt, quos tu omnes vna complexione & vno cumulo damnabis. Neque homines tantùm damnabis, facies Chriſtum tanto, tamque longo tempore viduum, orbatum ſponſa ſua, quam vel non fuiſſe dices, vel ſic fuiſſe, vt an fuerit, conſtet nemini; facies Spiritum ſanctum mendacem, qui de dignitate, ſplendore, de amplitudine Chriſtianæ Eccleſiæ in Prophetis fruſtra ſit tàm glorioſè vaticinatus. Coargues Chriſtum ipſum mendacij, qui ex Hieroſolymis in omnem terram diffundi doctrinam ſuam, & prædicari Euangelium oportere prænuntiauit. Quid, quod D. Paulum confutas, qui Eccleſiam firmamentum vocat & columnam veritatis?

Itaque cùm tu illam aliquando, vel nullam, vel obſcuram, vel extinctam; & cùm Eccleſiam non adhibes ad Scripturæ iudicium, te verò & homines alios ſingulares facis iudices; vel negas Eccleſiam veritatis eſſe columnam, vel te pluris quàm columnam æſtimas, alioquin enim cur non te ad columnam conformares? Cur ſuperiorum annorum Eccleſiam, ex Apoſtolorum Eccleſijs ductam, non ſineres eſſe Eccleſiam? Aut ſi ſineres, cur non putares etiam illam, tamquam partem magnæ domus Dei, columnam veritatis? Hanc igitur oſtende, tuæ Eccleſiæ, quam iactas, & tuæ congregationi conſentaneam, vel nega illam fuiſſe columnam, vel nega tuam eſſe, vt tandem quid ſentias, de tuo teſtimonio, ſciamus.

Sed ſcio quid reſpondere tu poſſis, & quid conſue-

uerint alij; Eccleſiam tuam Apoſtolicam eſſe,in Apoſtolorum libris fundatam,& eorum doctrinę conſentaneam,idq; tibi & tuis eſſe ſatis. Pauca verba dicis, ſed abſurditates,vt puto, plurimas.

Primùm enim tollis in vniuerſum Catholicam Eccleſiam, cum tuam non continuitate, ſed doctrinæ conſenſione cum Apoſtolica confers: in quo cùm Eccleſiam interruptam eſſe conſtituis,negas eſſe Catholicam,quæ ſemper eſt,ſemper manet, nunquam interrumpitur.

II. Deinde diſtinguis inter Apoſtolicam & Catholicam, contra Nicæni Symboli, contra omnium Sanctorum ſententiam, & vis Apoſtolicam Eccleſiam non eſſe Catholicam,quia Apoſtolicam tuam eſſe putas,quæ tamen non ſit Catholica. Ipſa igitur Apoſtolica Eccleſia, de tuo iudicio non eſſet Catholica, tamquam quæ aliquando viuis Apoſtolis fuerit, poſtea diu vel repreſſa, vel extincta, tandem reſuſcitata ſit à Zuuinglio: quod in Catholici nomen conuenire nullo modo poteſt.

III. Tertiò, ſi tua eſt Apoſtolica Eccleſia, ante te verò mille quingentis annis nulla fuit, nulla igitur ante te fuit in Apoſtolicis libris fundata Eccleſia. Ne quidem igitur D.Irenæi,D. Auguſtini Eccleſia fundata in Scriptura fuit.

IV. Quartò, damnas ſuperiores omnes Eccleſias, vel blaſphemiæ, vel ignorantiæ: Blaſphemiæ, ſi cùm intelligerent Scripturam, de induſtria corrumperent; ignorantiæ, ſi quod tu in Scriptura ſacra vides & intelligis, SS. omnes Patres & ſancta vniuerſa Eccleſia videre & intelligere non potuit: quod tamen poſtremum cùm dicis, contumeliam Spiritui ſancti, etiam imponis, qui conſtitutus Eccleſiæ villicus, vt ait Tertullianus, officium ſuum longiſſimo tempore neglexerit,neque ante Zuuinglium illuminarit Eccleſiam, factus officij ſui deſertor; vt nil dicam, arrogantiſſimum

mum eſſe, quod tibi Scripturæ intelligentiam ſumis, adimis toti ante te antegreſſæ vetuſtati, & vis nullam poſt Apoſtolos Eccleſiam intellexiſſe, quod Zuuinglius intellexit tuus.

Quintò, peccas contra ſententiam D. Petri, qui Prophetiam Scripturæ non vult priuatæ eſſe interpretationis: tu verò non ſolùm iudicio tuo & aliorum ſubijcis, ſed ſic etiam ſubijcis, vt quod Zuuinglio, vel tibi de Scripturæ interpretatione videtur, anteponas Eccleſiæ, & quidem Eccleſiæ veteris, iudicio. Qua in re peccas multis modis, tùm quod tuam vel vnius hominis intelligentiam pluris facias, quàm Eccleſiæ, tùm etiam quòd infinitam velis eſſe Scripturam, quæ V.

Sexta eſt ex poſitione tua conſequens abſurditas. Nam quia cuique permittis, vt iudicet, & iudicare de literis ſacris poſſit, ſunt autem infiniti, qui legunt Scripturam, profectò cùm diuerſi diuerſa iudicent, infinita erunt iudicia, neque terminus erit vbi ſtetur. Nec impedit, quod obijcere vel reſpondere vos ſoletis, iudicium pertinere ad doctos. Primùm enim, id aduerſarium eſt theſi veſtræ, id eſt, Lutheri, Zuuinglij, qui volunt etiam plebeiorum intelligentiæ propoſitam eſſe Scripturam, & eſſe illa nihil facilius, nihil explicatius. Deinde nullum eſt in eo reſponſo poſitum vobis effugium. Vt enim docti tantum iudicent, tot tamen ſunt docti, & inter ſe diſſentientes docti, vt nihilominus infinita maneant iudicia & infinitæ interpretationes: quod res ipſa per orbem terræ facilè tibi teſtabitur. Et quid dicam de multis? ſumamus vnum Lutherum: is cum à puero legiſſet Scripturam, cùm initio contentionis legeret quotidie, tamen non ſemper eodem modo intellexit, nullus penè menſis fuit, quo interpretationem non mutaret, & quod heri viſum eſt Scripturæ conſentaneum, viſum fuit poſtea diſſentaneum. Id quod tibi idem vſu VI.

venit,

venit, qui olim Vbiquitatem in ſacris literis traditam eſſe putabas: iam in ijſdem libris rectè competiſti, contrariam eſſe Scripturæ. Iam igitur aliter, quàm tunc, intelligis & ſi viues diutius, fortè plura intelliges conuenire cum libris ſacris, quæ iam non conuenire putas. Nam vbi certus non eſt ſcopus, vbi meta non eſt obiecta animi oculis, quo reſpiciant, & à qua nunquam auerſi ſint, incerta erunt omnia, quæ ex incerto principio fluunt.

VII. Et vt ſeptimam abſurditatem ex ſexta perſequar, redarguit te D. Petrus in illo eodem loco, cùm Scripturam eodem modo vult intelligi, quo fuit tradita. Tradita verò fuit ex inſpiratione Dei, & dictata a Spiritu ſancto. Ab hoc igitur ſolo peti explicatio debet, tùm de D. Petri authoritate, tùm ex vi conformatæ ab illo conſequentiæ. Nec prodeſt tibi, quod dicere ſoletis, idem vobis videri, neque ſine illuminatione Spiritus ſancti comprehendi poſſe Scripturam. Res enim in idem recidit, neque plus de Scripturæ intelligentia eris, quam de Spiritus ſancti illuminatione certus; neque modum explicabis, quo modo de iſta re tibi liquidò, planeque conſtet, quin ſemper aduerſarius, quod tu ponis, in dubitationem vocet. An igitur nulla eſt, inquies, Scripturæ certitudo? Eſt, mi Grynæe, & quidem maxima, ſed in Eccleſiæ explicatione, hoc eſt, ſi aremus in vitula Chriſti, ſi in ſponſa, vbi certa eſt de Spiritu promiſſio, quæramus & Spiritum & interpretationem, atque noſtris non obſecuti blandimentis, conquieſcamus in matris gremio, quæ nos genuit; alioqui rectè de Scriptura dicitur, quod Eunuchus Candaces Reginæ D. Philippo reſpondit: Quomodo intelligere poſſum quæ lego, niſi aliquis oſtenderit mihi?

VIII. Tu verò, quod octauum abſurdum eſt, re vera dubiam facis Scripturam, cùm Scripturam ad omnium intelligentiam accommodas. Nam quia vis ab omnibus

bus intelligi, tamen conſtat, non vno ab omnibus intelligi modo, ſemper igitur, quis de tot, tamque variè diſcrepantibus, rectè Scripturam intelligat, in dubitatione poſitum erit: niſi fortaſſe à te rectè intelligi videatur; propterea quòd tu Spiritum ſanctum in te poſſideas. Sed hoc, mi Grynæe, dubium eſt, vt dixi, & de te, & de ſingulis alijs. Eo igitur nihil demonſtras, & æquè incerta eſt Scripturæ interpretatio, quàm anteà. Nec valet, quod dicere ſoletis, ab his intelligi Scripturam; qui Scripturam cum Scriptura in timore Dei conferunt, & inde firma ſtabilique ratiocinatione concludunt ea; quæ volunt. Vt enim Scriptura non eſt priuatæ interpretationis, vel ἐπιλύσεως, ſicut D. Petrus ait; Ita nec eſt priuatæ collocationis, vel concluſionis. Et vt ſine Spiritu ſancto intelligi non poteſt, ita nec conferri commodè, neque in Syllogiſmos reſolui, ſine eiuſdem adminiculo, rectè poteſt. Itaque quamdiu de inhabitante in te Spiritu ſancto nihil nobis teſtatum erit, tamdiu ſemper de te dubitabimus, & eodem modo de alijs. Niſi igitur certum interpretem Scripturæ, cuius authoritas in dubium non poſſit vocari; nobis nomines, quamdiu tibi, vel cæteris ſingularibus viris ſumes interpretandæ Scripturæ iudicium, tamdiu & Scripturam dubiam relinques; & nos perpetua hæſitatione implicatos eſſe ſines: Vt nihil dicam; quod de collatione Scripturæ ponis, tuo exemplo confutari. Non enim dubitare debeo; cum Vbiquiſta eſſes, virum te fuiſſe æquè bonum atque iam es: ſed tùm & conferebas Scripturam, & ex ea conformabas concluſiones; tamen non intelligebas vt iam intelligis. Quicquid verò reſpondeas, vel te iam rectius conferre, vel plus adhibere iudicij, vel melius eſſe inſtitutum, eorum nihil ad rem pertinet. Quid enim ſi poſt annos decem rurſus & conferas, & aliter quam iam intelligas? Quid quod Luthe-

rani Vbiquiſtæ, & adhuc hodie conferunt, & tamen à te diſſentiunt? An te tot maximis viris anteponis? An illi perſpicuitatem Scripturæ non vident, quam tu vides? An extra conſcientiam peruertunt Scripturam? Quid horum dices, mi Grynæe? An in te Spiritus ſanctus, in illis non eſt? An tu rectè confers, illi non rectè? Sed, mi Grynæe, quidquid tandem dices, tibi fortaſſe ſatisfacies, mihi, & alijs nunquam, qui de ſpiritu tuo, de collatione tua dubitabimus ſemper, quouſque non oſtendes, cur dubitare non debeamus, id eſt, quouſque certum iudicem non dabis & certum interpretem, de cuius ſpiritu ſine vllo ſcrupulo conſtet liquido. Id verò eſt Eccleſia, cum qua Chriſtus ipſa Veritas confirmat in æternum manſurum eſſe ſpiritum Veritatis: quod de te & alijs non dixit. Ibi igitur quæri certitudo debet. Verùm quàm diu ſingulares homines ſine vitula arabunt, & ſine Eccleſia ſcribent, & Scripturam exponent, niſi Apoſtoli ſint, & ſe Apoſtolos eſſe miraculis teſtentur; tamdiu & dubia, & incerta, & omnibus procellis expoſita erit Scriptura. Tu igitur dubiam Scripturam (Grynæe) facis; non nos.

IX. Nonò, quia fundatam eſſe vis tuam ſententiam in Apoſtolorum doctrina: hæc vero non tota eſt ſcripta, ſed etiam ſine ſcripto tradita; quo conſtitues pudore de Apoſtolorum doctrina probari ſententiam tuam, cùm non ſcripta non recipias? Scis, quid D. Irenæus vir ille maximus, qui à te correctus in publicum ante non multos annos relatus eſt, ſcribat lib. 3. cap. 2. 3. 4. &. 5. Scis quid D. Auguſtinus lib. de Baptiſmo contra Donatiſtas, cap. 16. quid contra Fauſtum, lib. 28. cap. 2. quid contra eundem libr. 11 cap. 2. ſcribat: Nec ignoras quid D. Paulus de traditione ſua, 2. ad Theſſal. 2. 1. ad Corinth. 15. 1. Timoth. 6. quid D. Lucas in Euangelij ſui initio teſtetur. ea ſi vera ſunt, tu verò vel non recipis, vel cùm probes, tamen negli-

gis,

gis, quomodo probabis, Apoſtolicam doctrinam eſſe tuam?

Decimò, quia ψύχικος ἄνθρωπος non accipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei: ſi intelligentiam Scripturæ omninò poſſunt omnes complecti; aut igitur Scriptura ſine Spiritu Dei intelligetur, aut nemo in vniuerſo mundo animalis erit, aut ſi illi tantùm poſſunt, qui non animales ſunt, incerta erit Scripturæ interpretatio, cum qui animales & qui ſpirituales ſint, de externis indicijs non conſtet; & Spiritus Dei in eos non conueniat, qui in Eccleſia non ſunt. Itaque quamdiu inter nos, an in Eccleſia ſis, dubitabitur, tamdiu an ſpiritualis ſis, non erit liquidum, & tametſi in Eccleſia eſſes, & eſſe non dubitaretur, tamen quia Spiritus Dei idem eſt, à ſe non diſſentiens, tu verò contra Eccleſiam veterem explicas Scripturam, ſequitur vel Eccleſiam antè non habuiſſe Spiritum Dei, vel te non habere. Vtrum dicas, ego id, quod à te ponitur, tollam. Et quia ſpiritum tuum Prophetis non ſubijcis, & quia contra Spiritum Eccleſiæ veterem, opponis tuum nouum, concludam te non ſpiritualem eſſe, neque regi à Spiritu Dei, neque intelligere Scripturam, cùm Spiritus Dei ſit in Eccleſia, à qua tu te abiungis, neque ſtas in illo vno Spiritu, cuius vnitas Eccleſiam colligat pacis vinculo. An fortaſſis tu & alij interpretes ſingularem alium ſpiritum accepiſtis, quàm eum qui cum Eccleſia Dei in æternum manere debuit? An duo ſpiritus ſunt Dei? An tu ſpiritualis es; Eccleſia Dei, magna domus Dei, non eſt? An illa ſpiritualis non eſt, quam Scriptura domum Dei, & Eccleſiam Dei, & Eccleſiam Dei viui, & tabernaculum ſanctum, & columnam veritatis nominat? An fortaſſis vſque ad Zuuinglium & Lutherum, nulla talis domus, & Eccleſia, & tabernaculum fuit? Aut an videri non potuit? An omnes libros veterum Scriptorum, an omnes ſenſus, an omnium hominum intelligentiã

 effugit?

effugit? Quid ſumes ex his, mi Grinæe? Adhuc dices, nihil eſſe verum in Chriſtiana religione, niſi quod conſentaneum eſſe Scripturæ, tibi & cæteris eſſe videatur, tametſi Eccleſiæ non videatur?

XI. An non ſic, vndecimò, nulla erit in mundo hæreſis? cùm omnes videri velint, conſentaneum Scripturæ & ſcribere & loqui; neque ſit hæreſis, teſte Luthero & Zuuinglio, quæ in Scriptura non habeat ad externam ſpeciem diſpoſita præſidia, & arma ex Scriptura non mutuetur. An igitur omnium opiniones omnes erunt veræ? An omnes ſectæ erunt Catholicæ Eccleſiæ? An nulla erit hæreſis?

XII. An, duodecimò, ſemper diſputabitur de religionis Chriſtianæ veritate? Et, quod ſemel magna contentione, magno Spiritu, magna concordia à Patribus primæ Eccleſiæ defenſum contra hæreticos, & vindicatum & receptum ab Eccleſia fuit, denuò in controuerſia, & in diſquiſitione ponetur? vt nos rurſus probemus, & quod dixit Caluinus tuus, niſi noſtro etiam iudicio cum Apoſtolicis literis conſonet, &, vt vtar verbis illius: Niſi ad Scripturæ gnomonem examinatum ſit, vt reijciamus iterum? & quod magni montes poſuerunt, id nos tollemus poſtrema fæx terræ? Non, quòd quicquam verum eſſe putem, quod ab Apoſtolicis ſcripturis diſſentit, de quo iam non diſputamus, neque inter nos eſt controuerſum, ſed quòd poſt explicatam ab Eccleſia Scripturam, poſt conſtitutam ab Apoſtolis & Eccleſia formam Eccleſiæ, non permittam tibi vel mihi, vel alijs, vt contra Eccleſiam nouas interpretationes, nouas conſtitutiones, nouas diſputationes in Eccleſiam importemus, & abijciamus depoſita vetera, quocunque prætextu fiat. Duo nobis ſunt relicta, vt credamus ſimpliciter, & agamus benè: Miniſtri, vt iam eos nominatis, præter illa duo, & diſpenſare myſteria fideliter, & rectè Verbum docere debent, non vt diſputent,

ſputent, non vt contra matrem murmurent; ſed vt Spiritus Prophetarum ſubijciant Prophetis, poſteriores prioribus. Dices: Oues Chriſti audire paſtoris vocem. De eo quis dubitat? An inde ratiocinaberis, te ouem illam eſſe, quæ ſola vocem Paſtoris Chriſti rectè vel audiat, vel intelligat, vel ſentiat? quæ, an cæteræ oues rectè vocem audierint, rectè ſecutæ ſint, diiudicare debeat? An Zuinglius is fuit? An Lutherus? de quibus nondum an oues ſint, conſtat, cùm in veteri ouili non ſint, cùm ab ouiaria fecerint diſceſſionem, cùm contra vetus ouile ædificarint nouum; an illi inquam, quia vocem aliter audiant, quàm oues omnium ouilium, damnabunt oues omnes, & ouiarias omnes, & ouilia omnia quæ præceſſerunt? An iſti ſtabunt iudices contra omnium ætatum, & omnium terrarum ouilia? An igitur ouilia poſt Apoſtolos nulla? An ouiariæ nullæ? An oues nullæ fuerunt; ſi Chriſti Paſtoris vocem non audiuerunt, id eſt, ſi ſolus Lutherus & Zuuinglius rectè audiunt? Aut ſi priores oues rectè audiuerunt, an quæ nunc aliter audiunt, non audiunt vitioſe? Et an etiam lupi non vocem audiunt, & Scripturam tenent, vt D. Auguſtinus ait, ad ſpeciem, non ad ſalutem? Hanc igitur ſpeciem & hanc ſalutem quomodo diſcriminabimus? An omnes oues iudicare poſſunt de Scriptura & Eccleſia, & contra Eccleſiam? Scis, cùm Corach & conſcelerati ſocij, veſtris vocibus veſtro more vterentur, cùm vniuerſos in cœtu ſanctos eſſe, & Dominum in medio eorum eſſe clamarent, neque debere ſolùm Moyſen congregationi Domini præſtituere modum; quid tunc vſu venerit? Quod contra Moyſen Deus ferre non potuit, id contra ſponſam ſuam, contra totum ouile ſuum feret, pro quo ſanguinem ſuum effudit Chriſtus Deus & Saluator noſter? Agnoſcis, Grynæe, voces veſtras; Regale Sacerdotium, Gens ſancta. Verum id

quidem, & bis in Scriptura poſitum, neque tamen ad vos pertinet. Floruit illa aliquando laus in Iudaico populo, à quo D. Petrus ad nos transfert. An igitur omnes erant in Iudæa Sacerdotes? An nulli erant Laici? An offerebant omnes promiſcui? Et in Teſtamento nouo, an inter Sacerdotes & Laicos nullum relinquebant Apoſtoli diſcrimen? An quia ſacerdotium ſumus, ideo Sacerdotes, & omnes eodem modo Sacerdotes? An ſi Sacerdotes ſumus, diſputabimus contra Moyſen & Eccleſiam? Et erimus omnes Prophetæ? & interpretari Scripturam omnes poſſumus? & contra D. Paulum, dona Spiritus ſancti omnia, λόγον γνώσεως καὶ σοφίας, καὶ διακρίσεις πνευμάτων, καὶ προφητείαν habemus omnes indiſcriminatim? Quid dicam, Grynæe? Perſequar omnia abſurda, quę ſexcenta ex vna tua, & tuorum poſitione influunt in fidem Chriſtianam? Tempus me deficeret, ſi vellem, neque opus eſt, niſi iubeas. Nam ſi iuſſeris, faciam perlubenter, & oſtendam quemadmodum minutum ſemen tam paruæ ruæ, & tàm blandæ abſurditatis, in mille nouas propagines amplificetur, & diffuſum vniuerſam funditus vineã Chriſti, & domũ Dei deuaſtet.

Id igitur, vt arbitror, oſtendi, nullum tibi in Apoſtolicis literis relictum eſſe receptum, ad quem confugere, & quo te contra Catholicam religionem armare poſſis; nec ſatis eſſe, quòd fundatam eſſe in ſacris literis putes ſententiam tuam. Itaque ad principium redimus; ad id redimus, vnde diſceſſimus. Niſi Catholicam tuam eſſe, niſi ſemper fuiſſe, niſi cum priori Catholica Eccleſia conſenſiſſe Eccleſiam tuam Catholicam declarabis, nihil efficies, fruſtra te in latebras iſtas conijcies Apoſtolici patrocinij: fruſtra Apoſtolicus videri cupies, cùm Catholicus non ſis. In Eccleſia primorum Martyrum, in illa Eccleſia, quæ ante Conſtantinum Magnum vehementer multumque repreſſa, ſub Conſtantino primùm humanis fir-

mis

mis præſidijs defenſa, floreſcere ad extremam quietem cœpit, de cuius ſententia in fide, & hierarchia, & moribus multi extant ſanctorum Patrum conſignati, & ad recordandam iſtius religionis iſtorum temporum memoriam relicti nobis libri, quæ ad nos perpetuata fuit; In hac inquam niſi te eſſe videamus, niſi cum hac conſentias, nec Catholicus eris, nec Apoſtolicus, nec omnino Chriſtianus; nec Eccleſia erit cœtus tuus, ſed hæreſis. Eò igitur occupationes tuas, eò curam tuam applicabis, vt te oſtendas Catholicum eſſe, & ſentire cum illa Eccleſia, quæ Catholica eſt, quæ ſemper vna fuit, ſemper ciuitas fuit ſuper montem poſita, non poteſt abſcondi, ſedes & gloria, in qua Dominus brachium ſanctum ſuum patefecit ante conſpectum vniuerſarum gentium, in qua omnes nationes vſque ad vltimum terræ ſalutem vident, quæ à Deo eſt, cuius educatores Reges ſunt, in qua ante cōſpectum Dei adorant omnes fines terræ, & vniuerſæ patriæ gentium, cum qua totus orbis & omnes Sancti communicant. Hanc per mundum & in fines orbis terræ diffuſam Eccleſiam, hoc tabernaculum poſitum in Sole, & in Solis clariſſima luce, hunc montem ſanctum Dei quærere debemus, & ſi quæramus, inueniemus. Mons enim magnus eſt, & ſic creuit, vt vniuerſam impleat terræ faciem: In die poſitus eſt, non in nocte. Gradus duos habet, ſuperius gratiam Dei, inferius vnitatem Eccleſiæ, quibus duobus gradibus in montem aſcenditur.

Sed ſi palàm eſt Mons, & ante oculos in Monte poſita Ciuitas; cur, inquies, non videtur? non conſcenditur ab omnibus?

Reſpondeo. Quia his gradibus & adminiculis non vtuntur, & monſtratum Montem tùm videre, tùm conſcendere non volunt, eoque, ſicut Diuus Auguſtinus loquitur, offendunt in Montem, & facilius faciem in eum impingunt, quàm habitaculum in

illo quærant. Primùm, hæretici videre montem, & ciuitatem in monte ædificatam, ſine gratia Dei, ſine illuminatis animi oculis non poſſunt. Deinde, vnitatem, in libris Patrum, & in hiſtorijs Eccleſiaſticis ante conſpectum propoſitam, intueri non volunt, & tanquam ſi priuatorum hominum doctrina eſſet, repudiant. Scis enim, vir clariſſime, quid a vobis ex D. Auguſtino dicatur: Solis Scripturarum libris canonicis credendum, alios Patres quamquam ſanctos & excellentes viros, tamen non audiendos, niſi ſententias ſuas Canonicorum librorum teſtimonijs, vel alia probabili ratione deuinciant. Id verò, mi Grynæe, quis negat? *Sententia* vnius Patris, non eſt vnitas Eccleſiæ, neque quid quiſque Pater priuatim ſenſerit quærimus, ſed quid Eccleſiam de omnium Patrum ætatibus credidiſſe, in eorum libris notatum & animaduerſum ſit, hoc quærimus, & tamquam veram gloſſam & legitimam interpretationem Spiritus ſancti recipimus; cum vnus Spiritus ſit, qui libros Canonicos dictauit, & qui à ſe dictata illuſtrauit in Eccleſia. Vnus eſt Spiritus, res vna eſt, in Scriptura interdum verbis obſcurioribus, in Eccleſia ſignificantius tradita, & verboſius; neque ſententia Eccleſiæ poteſt non eſſe ſententia Scripturæ, cum vnus & idem Spiritus, Spiritus pacis, Spiritus conſenſionis vtrumque dixerit, vel potius rem vnam poſuerit in majore lumine. Quod igitur quiſque Pater priuatim ſenſit, & ab Eccleſia non comprobatum ſenſit, id ad nos non pertinet, & ſine Scripturæ, ſine Eccleſiæ authoritate, laudari non debet. Quod verò Patres & hiſtoriæ de Eccleſia teſtantur, in eo, ſicut ait D. Auguſtinus, quamuis de ſacris Scripturis non proferatur exemplum, tamen Scripturarum inde tenetur veritas, cùm hoc facimus, quod vniuerſæ placuit Eccleſiæ, quam ipſarum Scripturarum commendat authoritas; vt quoniã ſacra Scriptura fallere non poteſt,

quiſ-

quiſquis falli metuit in obſcuritate quæſtionis, illam eandem Eccleſiam conſulat, quam ſine vlla ambiguitate ſancta Scriptura demonſtrat. Et ſi Eccleſiæ, mi Grynæe, fides haberi non debet explicanti & illuminanti Scripturam, cur creditur proponenti? Scis tamen Eccleſiæ nos credere, cùm ſcripturam D. Matthæi canonicam, Nicodemi non canonicam eſſe docet. In ea ſi credimus, cùm veros libros à falſis abiungit, cur non credimus, cùm veram interpretationem Scripturæ tradit, & antiquat falſam? Si libros canonicos ab Eccleſia recipimus, & quia illa tradidit pro veris habemus, cur eidem Eccleſiæ, cùm Apoſtolorum traditiones non ſcriptas nobis exhibet, & de fonte illo, velut Apoſtolica traditione canalem in noſtra tempora deriuat, non adiungimus fidem? Cur mentiri in vno putamus, non mentiri in altero? Congrega, quæſo cogitationes omnes tuas, & ecquænam diuerſitatis huius cauſa ſit, inquire, aut ſi nullam eſſe reperies, abijce veteres animi tui comprehenſiones.

Itaque vides, cur montem magnum in conſpectu collocatum non videant hæretici, vides cur in ciuitatem ingredi in monte extructam non velint: &, vt tandem finem faciam, vides quid in Eccleſia tua deſiderem, cur non Catholicam, cur non ſanandam, ſed mutandam eſſe putem, cur tibi morigerari non poſſim, quandiu de Eccleſia inter nos non conuenit. Eccleſiam ego nullam agnoſco, niſi Catholicam: Zuuinglianam verò, quam à multis iam annis defendis, Catholicam eſſe non puto, niſi Catholicam eſſe tu probes, & ſic Catholicam, vt & Zuuingliana Eccleſia cum prioribus omnibus Catholicis conſenſerit, & Zuuinglius non nouam inchoauerit, ſed continuatam ex prioribus Catholicis propagauerit Eccleſiam, quæ cum omnium temporum, & omnium terrarum Catholicis Eccleſiis communicet, & ex illis progreſſa & proſeminata ſit. Hoc quouſque non erit explicatum,

quomodo vulnera Eccleſiæ in tuam gratiam ſanem, non intelligo. Nam ſi vulnera, quæ à Zuuinglio inflicta, & à Luthero inuſta ſunt, medicari, ſi Eccleſiam ab illis deformatam reſtituere in dignitatem priſtinam & in priorem ſtatum velim, neſcio quam apud te poſſim inire gratiam: vt verò medicam manum ad ſanandas ſectas accommodem, credo te non iubere. Tam diu igitur intermittetur medica manus, & eò vſque differetur, dum inter nos de Eccleſia conſentiamus. Quod ſi per Dei benignitatem aliquando fiet, videbis me, quod ſponte mea feciſſem, tamen excitatum tua voce, & cohortatione tua facturum multò ſtudioſiùs, vt etiam in vinea Domini, & in monte ſancto veſtigia impreſſa diligentiæ meæ, & teſtatam de te bene merendi voluntatem meam aſpiciat poſteritas. Sin fortaſſis, quod minimè ſpero, & in doctrinæ pietatiſque tuæ præſtantia, & in mea morigerandi cupiditate fieri non poteſt, de iſto capite ita ſubito non conueniemus: tamen vt cœpimus progrediemur ad alia, & timore Domini de motis à Luthero & Zuuinglio controuerſijs, & quemadmodum vulnerata ab his Eccleſia, in vnitatem fidei conſolidari, & coire rurſus queat, ordine colloquemur.

Duo in te eſſe video, doctrinam ſummam & incredibilem humanitatem, quæ in alijs vix ſentiuntur: illa in te propter clariſſimum lumen, quod emittunt, magnam apud omnes habent admirationem; quo magis te delegi, etiam propter conſtitutam inter nos ante hoc tempus amicitiam, vt ſi à tua benignitate impetrari poſſet, tecum conferrem, & vel egò iam diu accenſas ab Eccleſia faces ante conſpectum tuum ponerem, vel tu de lumine doctrinæ tuæ nouum in me accenderes melioris ſententiæ lumen. Quanquam profectò per Dei gratiam ſic Eccleſiam perſpectam habere, & ſic confirmatus eſſe videor, vt nulla nouorum hominum ſuauiloquentia, & nullis blandimentis de

monte

monte magnæ ciuitatis, in quem ſemel pedem impreſſi, deduci me patiar, niſi fortaſſe montem quem conſcendi, doceas non illum eſſe montem, qui ſanctorum Martyrum & ſanctorum Patrum veſtigijs ſignatus, & qui ad ciuitatem Dei ducit, ad magnam illam domum Dei, ad Noë arcam, quæ ſola periclitantes in diluuio multarum aquarum tuetur. Nam ſi illum montem, & illam Eccleſiam non eſſe, doceres ex perenni Eccleſiæ tuæ perpetuitate, & ex conſociatione, quæ inter tuam & ſanctorum Martyrum Eccleſiam eſſet, ſtatim tibi nihil tergiuerſans obtemperarem, & deinde ad reficiendam Eccleſiam tuam, id eſt, Catholicam, totum ſtudium, totamque operam meam conferrem.

Vides, mi Grynæe, moderationem meam, vides rem maximam eſſe, de qua deliberamus: meminiſti illud D. Cypriani & D. Auguſtini: Non habere Deum Patrem, qui Eccleſiam non habet Matrem. Tenes vetus illud axioma à vobis etiam conſeruatum: Non eſſe extra Eccleſiam ſalutem, ſubmergi omnes animas, quæ non recipiuntur in arcam. Itaque, vt ſpero, & de his tanti momenti rebus colloqueris, & exacues diligentiam tuam, non vt tuis me laqueis, ſed vt Eccleſiæ & pacis vinculo induas, neque quomodo ex hac dimicatione victor excedas, ſed quemadmodum ambo ſub ſuaue iugum Chriſti ſubacti, in humilitate animi, & ſimplicitate fidei, & vnitate Eccleſiæ per charitatem, & non inflationem ſcientiæ, erudiri nos à matre noſtra ſinamus, quæ nos genuit, quæ Baptiſmi vberibus lactauit, quæ huius ſcientiæ, quam iactamus, fundamenta nobis præmonſtrauit, & Scripturam dedit, in cuius gremio ad ſpem æternæ beatitudinis educari debemus.

Atque hæc ferè ſunt, quæ iam inter occupationes plurimas meas reſpondere ad literas tuas viſum eſt, non vt te docerem doctiſſimum præſtantiſſimumque virum,

virum, ſed vt meam tùm ad amplificandam Chriſti, eiuſque ſponſę gloriam, tùm ad obſequendum tibi propenſionem, qualicunque iſta ſimplicitatis Catholicæ noſtræ ſignificatione teſtificarer: & vt poſt ſolutum hunc nodum, tanquam excιſis omnibus impedimentis, de ſanandis Eccleſiæ vulneribus multò deinde liberius conſilia communicaremus noſtra. Tu, vir clariſſime, libertatem meam, tanquam ex optimo tuique obſeruantiſſimo animo profectam, boni conſules, &, vt ſpero, diligentiam meam, quæ alioqui infinitis negotijs hebetari nonnihil ſolet, frequenti ſcriptione ſuſcitabis: meque, quod feciſti hactenus, amore tuo complecti non deſines.

Tuus omnibus officiis

Joannes Piſtorius Nidanus, D.Marchionum Badenſium Conſiliarius.

RE-

REVERENDISSIMI ET ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS AC D. DOMINI EBERHARDI

Epiſcopi Spirenſis, Præpoſiti Weiſſenburgenſis, Imperialis Cameræ Iudicis, ad ampliſſimum conſultiſſimumque Dominum Eberhardum Wambolth ab Vmbsſtadt, eiuſdem Cameræ Aſſeſſorem, &c. de feliciſſimo eius, ad ſacroſanctam, auitam, Catholicam religionem acceſſu, Acclamatio gratulatoria.

ECQVID, macte animo, cœli te illuſtrior aura
Afflauit; placidoque in certam numine mentem
Impulit, hæreſeos ſteriles calcare myricas,
Romaniq́; Patris iucundum intrare viretum?
Scilicet eximiis in corpore dotibus aucto
Dilectam ſuperis animam, rerumq́; ſatori,
Et clari ingenij decus immortale ferebras.
Vidimus, in populi aſpectu, te accumbere nuper
Ad menſam dapis Angelicæ, regniq́; perennis
Pignore donari. Sic ô ſic vota piorum

Impleſti;

Impleſti, & ſuperos rapuiſti in gaudia cives.
Iam pia te mater conuerſum ECCLESIA *dulci*
Amplexu fouet, & tanto ſe munere iactat.
Intereà ſtridet Phlegeton, & turba malorum,
Quam vetus infecit flagranti vipera tabo:
Miratur, ſtupet, inſanit, crepat, ilia rumpit.
Verùm vlulet lupus, arguto vulpecula roſtro
Ganniat, elata prouoluat ſibila fauce
Vipera, latratu circum tremat aura canino.
Deſpice. Nam radians cœli tibi curia gaudet,
Et ſancta volucres lætum Pæana frequentant.
Aſt ego, qui gregibus Nemetanis *myſtica tendo*
Paſcua; qui fulgenſq́; pedum, mitramq́; capeſſo;
Gratulor, & ſummis facinus tam nobile iacto
Laudibus. Euge iterum tantos tibi gratulor auſus.
Sic nomen, ſic nobilitas, ſic functio poſcit
Amborum. Cum etenim ſacratum vertice fontem
Attigimus, veteremq́; in puro flumine labem
Abluimus, fecêre EBERHARDI *optabile nobis*
Nomen, & hoc populi iam crebrò per ora volamus.
Quandoquidem proauûm claro ſuccreuimus ambo
Sanguine, & antiquæ nobis inſignia Gentis
Caßide ſub patula fulgent. Cameræ aßidet alter
Cæſareæ, & nulli Iuris vernante ſecundus
Eloquio, æternam famæ ſibi ſuſcitat auram.
Æacus eſt alter Cameræ. Nam Iudicis illum
Fungier officio voluit, qui lata Viennæ
Mœnia habet, noſtræq́; capit moderamina terræ.

Ergo

Ergo tibi fauſto procedat lumine ſemper
Auricomus Rex aſtrorum. Tibi ſydera vultu
Felici aſpirent. Te cœli gratia cingat.
Macte noua virtute, alto te te inſere cœlo,
Iamq́; vale, & longum ducas feliciter æuum.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

3

MARIA STVARTA,

REGINA SCOTIÆ, DOTARIA FRANCIÆ, HÆRES ANGLIÆ ET HYBERNIÆ; MARTYR Eccleſiæ, Innocens à cæde Darleana:

VINDICE

Oberto Barneſtapolio.

CONTINET HÆC EPISTOla hiſtoriam penè totam vitæ, quam Regina Scotiæ egit miſerè, ſed exegit glorioſè. rationem tituli præfert frons ſequentis pagellæ.

Bibliot. Secr. Coll. Rom. Soc. Jesu

COLONIÆ

Sumptibus PETRI HENNINGII, Bibliopolæ Colonienſis.

ANNO M. DC. XXVII.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LECTORI.

HISTORIA hæc contexta eſt, vt videas, non quid, & quantum paſſa fœmina: ſed quantum & quomodo perſequitur Caluini catulus, etiam fœminas, & fœminas Reginas. Præfert frons libri innocentiam à cæde Darleana, non quòd hæc ſola, ſed quòd hæc ſummè hîc agitur. Deinde reliquæ calumniæ, tanquàm niues, ad hunc ſolem, diffugient omnes. In calumniæ maximæ nulla probabilitate, reliquæ criminationes, quem, quæſo, inuenient locum; & apud quem? vtere modò hoc præludio. non multò pòſt tibi à nobis erit mors Reginæ, & iudicium orbis de hac morte.

ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO DOMINO D. GVLIELMO ALANO. S. R. E. Cardinali Domino ſuo clementiſſimo.

RES (*Illuſtriſsime Cardinalis*) *pulchræ & perfectæ, etſi quibuſdam internoſcantur quaſi inſignibus famæ & floris, tamen nulla re magis cenſentur pulchræ & perfectæ, quàm* quòd citò intereunt. *Roſa nihil pulchrius, nihil breuius. validus leo. quid validus? potiùs vanidus. diù viuit, ſi ætatem hominis viuit. Reſpublica florentior eſt regno, florentior & fugacior. de Carthagine hoc clarum, cuius cunabula robuſtiora ſanè fuerunt ſenectute imperij Mediani. ſi de Carthagine aut dubitatio ſit aut diſceptatio, Romanæ profectò Reip. prima herba extra omnem diſceptationem vegetior eſt flore regni Perſiani. nihil mirandum, res magnas paruo tempore durare, niſi miremur rem humanam non poſſe eſſe diuinam. eſſet verò diuina, ſi a gradu, quo ſubſiſtit perfectionis, pergeret quaſi pede naturæ, & procederet ad cumulum illum ſummum, quem ſtupemus in Deo, ſolo ſummo. Natura, aut meliùs naturæ faber Deus rebus magnis pegit anguſtos fines,*

omnibusq; vnam ſciſcit iubetq; legem, vt citò cadant, *id æquè videmus in regibus, ac regnis. immò magis in regibus. nam bonorum regnorum, eſt ætas; regum, quaſi florum, tantùm æſtas. vnde in libris eorum, quos Ethnica fraus cepit & decepit, nihil tritius, quam clamores illi,* Cœlum inuidiſſe terræ Titos & Antoninos. *non libet ad imitationem quorundam malè Chriſtianorum, in Mariæ Stuartæ occaſu, hanc Ethnicorum execrationem, tanquam artis teſſellam, intexere orationi meæ: id tantùm elicio ad rem meam, fuiſſe ſcilicet maximæ Reginæ maximum ſignum*, quòd & citò floruit, & citò perijt. *vix vixit, & regnauit. eccum florem. vix regnauit, & cecidit. eccam miſeriam, maiorem ſanè miſeriam, quò maiorem florem. regnauit dupliciter, vel nata Regis Scoti, vel vxor Regis Galli. cecidit mox, ſemel in morte mariti, iterùm per fraudem hæretici. perpetua poſteà in reliqua vita & contexta miſeria, hæq; omnis generis, contumelia, infamia, carcer, perduellionis iniuria ita certabant cum virtute, vt videretur hæc virtus ſumma, & quòd fortuna ſummè contenderet, & quòd ipſa ſummè vinceret. vincit certè, quæ ſic contemnit. pati autem contemnebat, quia pati pro Chriſto, hoc demùm putabat palmarium. hæc virtus ſi fuiſſet ornata regno, putaſſem virtutem, ſed tenuem & plebeiam. verùm cum fuerit ornata martyrio, quàm video metam vitæ claram, tàm ſtatuo viam vitæ præclaram ſupra omne id, quod poteſt aut Orator dicere, aut Philoſophus cogitare. nihil mirum, ſi hanc vitam conen-*

tur Caluiniani inuido dente inſecare. inuidia, tanquam flamma, petit ſumma. verùm hanc ſummè pulchrã, ſummè bonam, ſummè Catholicam quàm infœliciter petat, volui hac epiſtola oſtendere Germanis hominibus, quorum iudicium & bonam de ſe opinionem Angla præfert iudicio & opinioni reliqui orbis. vndè in omnibus penè Germaniæ angulis habet, qui libellos & rumores ſpargant contra reginam Scotam, eamque fœdent, mariti cæſi, lecti violati, contemptæ religionis, aliorumque vitiorum fœdiſſimis ſordibus. etiam Buccananus in Germania bis editus, & ſeparatim illa de cæde Darlæi Principis, quam affinxit Reginæ, quoſdam bonæ & mentis & religionis Germanos (quantum audio) ita imbuerunt prauitate opinionis, vt putent & doleant Catholiciſſimæ Reginæ inſperſam teterrimam huius cædis lituram. vnde hanc epiſtolam ſcriptam ad Germanum (multa enim mihi cum hac gente propter cãdorem familiaritas, Romæ, Patauij, Pariſiis) curaui hîc imprimendam, & in Germanos ſpargendam: partim vt videant fraudẽ Caluinianam, partim vt caliginem malæ opinionis (ſi quam de Regina hac combiberunt animis, hoc Solis *obiectu diſcuterem. iſtam ſanè viam ingreſſus ſum, non tàm vt Reginam defenderem, quam vt martyrem vindicarem, euolueremque orbi, quibus virtutis & patientiæ gradibus ad hunc tandem palmæ apicem aſcenderit. Ad* Te *(Illuſtriſſime Cardinalis) mitto hanc meam Reginam, meam verè, ſcilicet tàm meæ dictionis colore pictam, quam ſuæ virtutis ſanguine expreſſam. decorè omnia. mitto Catholiciſſimam ad*

Catholiciſſimum, ſemi Anglam ad Anglum, martyrem ad patrem & quendam quaſi ſatorem martyrum. nam ex TVÆ *diſciplinæ horto, aut vocu quadam irrigatione, illi flores martyrum, qui apud Anglos his poſtremis temporibus in terram & cœlum ſpargũt ſuauitatis odorem, vel primis gemmis emerſerunt. vel plenis foliis effloruerunt omnes quòd ego mittam, facit non tàm ad honorem tuum, quam ad obſeruantiam meam. nam cùm ego, quicquid ſum, & quiquis ſum, fluxerim ex* TVA *voce, ex* TVA *quadra, ex* TVO *exemplo, ex* TVO *cubiculi receſſu (duobus enim annis interiùs, quam reliqui, vidi latentes virtutes, quas ſummi Pontificis ſumma prudentia poſuit in theatro) debui certè aliquod meæ in* TVAM *Celſitudinem obſeruantiæ ſignum orbi ſuſtollere. quod potui grauius & gratius, quam huius Reginæ defenſionem? ſi rogem, vt me aut Reginam recipias in clientelam, derogem certè* TVÆ *Clementiæ. quid ergò? tantum obfero pietati* TVÆ *vt hanc martyrem per me, ſic me in hac martyre. Valeat Illuſtriſſima* TVA *Celſitudo, viuatq́; Angliæ noſtræ quàm diutiſſimè. Venetiis. Idibus Februarij, 1588.*

Illuſtriſſimæ Celſitudini æternùm deuotus

Obertus Barneſtapolius.

NOBI-

NOBILISSIMO ET DOCTISSIMO VIRO JOHANNI B. GERMANO, amico ſuo.

VIX vidi in epiſtola (mi Iohannes) tua Buccananum, quin coniectura auguratus ſum, orationem illam, quam ad Rhenum inambulans in Mariæ Stuartæ Reginæ Scotæ laudibus fixi veram; beneque longam, periiſſe mihi totam, & in terram effluxiſſe. Nam fieri vix poteſt cuiuſquam orationis aut flore aut neruo, vt non credatur Scoto de regina ſua narranti labes, cædes, fœditates, quæ cum totius gentis infamia & dedecore implicitæ cohærent. Nam ſi mulier, quam ſolet natura fingere ad humanitatem; & Regina, quam artis expolitio debet conformare ad omnem mititatem, ijs ſe deuinxerit ſceleribus, quæ nulla barbaries viderit, nedum tulerit: qua diritate cenſebitur reliquus populus, qua vita, quibus moribus? quod augurabar, id erat. Siquidem Buccananum putas non velle mentiri, quia hiſtoricum de regina; non debere mentiri, quia Scotum de Scota; non poſſe mentiri, quia æqualem de rebus non collectis odore ſuſpitionis, ſed ipſo oculo vſurpatis. Buccananum non velle mentiri? ſcilicet poetam. non debere mentiri? ſcilicet in re ſua. non poſſe mentiri? ſcilicet natum in ſchola Caluini. Si quantum aut hiſtoricus debuit ad reginæ virtutem, aut Scotus potuit ad Scotæ laudem, aut æqualis voluit ad res notas omniumque ſermone dirtiſſimas adferre candoris, tantum hic conſumpſiſſet in hac re: plane exiſteret, quod ſcribis, hunc nec voluiſſe, nec potuiſſe, nec debuiſſe mentiri. verùm cum

omnes, qui olent de Caluini ſchola, metiantur orationem nō veritate, ſed re ſua: ſtatue tu mecum, hunc poëtulam ex Caluini & mendacij ſchola efflorefcentem ad famam, quam conſecutus eſt, & voluiſſe pro peruerſitate, & potuiſſe pro conſcientia, & debuiſſe pro more mentiri de illa regina, cuius virtute, tanquam SOLIS obiectu ſperabatur diſpellenda hæreſeos, vitijque caligo, quæ per Buccananos inuecta eſt in Scotiam. Vide etiam hunc Buccananum id tantum habere hominis, quod frons præ ſe fert & vultus: vt indè videas clarè, quid velit, quid poſſit, quid debeat. Cum ex Gallia in Scotiam aſferret famam non virtutis, ſed ingenij; non boni viri, ſed boni poëtæ: Regina Maria pro ſua in omnes inſita mititate poëtæ nomini, tanquam numini, eum honorem habuit, vt Buccananum plurimo lauroque cenſu ornaret, & in ordinem nobilitatis, mendiculum hunc ex fæce, aridum ſanè & exuccum ramum, insereret. Belluam, ne cogites ingratiſſimum tantùm, Regina ex mendico fecit nobilem; nobilis iam fictus potiùs quàm factus reginam deformare, & perpetuis infamiæ notis conatur inurere. inueniunt exitum defenſionis, qui defendunt, illum ſcilicet honorem decretum doctrinæ & facetijs, bonis factis mallem, quam facetijs. Quanquam hoc facetiarum nomine, quaſi vero colore, pulchrè pingunt totum Buccananum nam græcari, ſcurrari, poëtari, mentiri, (quod illi interpretantur, facetum eſſe) vera fuit & ſola Buccanani laus. reliquâ tantum ſcientiæ & conſcientiæ, quantum ſolent parere Ouidius & Caluinus. hunc his moribus imbutum quid iam cenſes potuiſſe, debuiſſe, voluiſſe mentiri? nihil eſt huic poëtæ mentiri, niſi impudenter mentiatur, & huic impudentiæ pulchrè obtendat artis velum. Siquidem innocentia & reginæ integritas etſi multis iam argumentis teſtata ſit orbi, quaſique in theatro propoſita tàm bonis ad imitatio-

tationem, quàm malis ad inuidiam; & quicquid criminis in hac innocentia videbatur hærere ac pœnitiſſimè inſidere, illud ſit deletum, & multis multorum rationibus depulſum: tamen quaſi criminibus iſtis, veluti venenatis telis, medicina non fuiſſet facta, ita illa ille iterùm iacit, exaggerat, artisque noua cote ad inuidiam malitioſè acuit. CITAT ILLAM REAM LECTI GENIALIS STRATI ITALO; POSTVLAT DISCORDIARVM SATARVM INTER NOBILES; ARCESSIT NECIS ILLATÆ MARITO. quis iterùm homo mendacia iſta, tam clarè, tam ſæpè, tàm neruosè refutata, & ex hominum animis euulſa? bellus ille tuus, qui nec potuit, nec debuit, nec voluit mentiri. Qua fronte? eadem penitus, qua voluit Heroſtratus inſignis cuiuſdam impudentiæ & nequitiæ non veſtigia, ſed cubil a relinquere toti poſteritati altiſſimè impreſſa. Quippè Anglicè & Gallicè ſi calleres, mitterem libros, in quibus legeres eadem crimina tanto rationis & orationis momento reiecta, vt planè ſtatueres nihil hoc homine impudentius, qui quæ labes & ſuſpiciones ſunt multis antè annis penitùs abſterſæ, eas iam denuò renouet, & quaſi vel veras, vel nouas nouo artis colore illinat. Sed in Gallicis & Anglicis cùm ſis hoſpes, de hac re quod vberi fuſoq; dictionis filo perſecuti ſunt alij, id ego perangustè referciam, & arctiſſimis epiſtolæ cancellis concludam atque definiam. Quòd ſi in hac narratione non videris florem illum atq; cincinnum, quem reliquis meis commentationibus nimis forſan ſæpè interſperſi, quid reprehendis? Narrationem audis, non orationem, & narrationem, quæ prodere cauſam vult videri, ſi externum artis aucupium aut nimis ſolicitè conſectetur, aut nimis fabrè inducat. Vt autem res rei, tanquam hedera hederæ, non implicetur, & permiſtè turbetur: ea lege tenebitur oratio mea, vt rem totam nudum & externa artis veſte caſſam defigat in oculis

ſuis; deinde quicquid eſt falſi criminis, colligat, premat, aperiat, refellat. Quòd ſi autem non ſecutus fuero illud Buccanani perpetuum filum, nihil certè aut decerpitur de innocentia reginæ, aut additur Buccanani maledicentiæ. Cur, quæſo, ſequerer filum mendaciorum? inciditur, ſi oſtenderis. Cur ſequerer filum maledici? abrumpitur, ſi dixeris. Cur ſequerer filum Buccanani? nō ſtatui implere paginas, ſed oſtendere innocentiam Reginæ Scotæ, idq; ea non ſpecie, ſed conſtantia orationis, vt ſi mea videris ſtare, Buccanani omnia facilè videas cadere. hæc mihi mens ſi concepta ex tuis literis, grata tibi; ſi inſtillata è cœlo, vtilis omnibus. non teneo te verbis, vide facta. Vt autem videas clariùs, rem arceſſam à capite.

Maria Stvarta regina Scotiæ, fœmina fuit, in quam omnia ſua ornamenta videntur contuliſſe, Natvra, Fortvna, Virtvs. Nam eo fuit habitu corporis, ea bonorum affluentia, ea mentis bonitate, vt à tribus illis videatur ſuſcepta contentio, ederentne mundo, Natvra pulchriorem, Fortvna fœliciorē, an Virtvs meliorem. Audiui à multis, ijsq; ſanè in hoc genere benè lynceis, quicquid viderant in Anglia, Gallia, Italia, Germania, Flandria pulchri & venuſti, id totum, quantum & quantulum erat, præ hac conformatione membrorum, hac venuſtate, hac maieſtate, hac huius reginæ ſuauitate penitùs ſorduiſſe. In digitis, in venis, in manibus, in ocellis, in fronte, in corpore, in geſtu viderunt myſteria, quæ tanquam deæ ſtuperent potius taciti, quàm infra dignitatem dicerent. Dea certè naturæ, ſi qua noſtri temporis. Nonné fœlix? ad regna naſcitur tria, Scotiam, Angliam, Galliam; & naſcitur non obſcure, ex matre Maria Lothoringa, filia Ducis Claudij Guiſiani, ex patre Rege Scotiæ Iacobo quinto, quem Iacobus Scotiæ quartus ex Margareta regis Angli Henrici ſeptimi fœliciter ſuſceperat. Ad Galliam verò beneficio matrimonij, etſi

aſcita potius fuit, quàm iure nata, tamen dixi huc naſci eam, vel dignam tanto regno, vel florentem ex Lothoringa ſtirpe, Galliæ potentiſſima, optima, catholiciſſima, vel, potius merito virtutis, oratam à rege Galliæ, & exoratam vxorem. Fuit hîc quidem ludus fortunę. Siquidem quę naſcitur ad tria regna, exuitur tandem omni non dico regno, ſed domo, libertate, patria. STVLTAM ET LVBRICAM FORTVNAM, deam contemno dicere, quæ quos cæpiſti iuſte amare, eos conſtanter amare non pergis. Serua tibi Nerones, Vitellios, Ottones, iocos tuos. Etiam ludificari Marias? ſanctas? inique. Quanquam iſtud eò mollius fero, quò certiùs video virtutem ſummam nitere in turbidis, quàm proſperis rebus. Nam cùm virtus incluſa ſemper, & quaſi flamma cinere, obrecta lateat, quoad fuerit obiecta materies vis exerendæ: gratulor certe Mariæ Reginæ hanc fortunæ volubilitatem, tanquam ſegetem virtutis excitandæ, ſpargendæque per orbem. In hac enim calamitate (quam fortuna obiecit, non induxit meritum) eas conſtantiæ, pietatis, religionis, mititatis diuitias explicauit, vt poſſit dici infœlix bono ſuo, & maximæ virtutis maxima laude. Ante cognita fuit tantùm Regina, cognita pulcherrima; nunc poſt hoc fortunæ vulnus cognita fuit etiam exemplar, & pietatis vera expreſſio PRINCEPS CERTE (vt ſcribit de Æmilio Paulo Paterculus) IN TANTVM LAVDANDA, IN QVANTVM VIRTVS INTELLIGI POTEST. Hanc Mariæ ſiue fortunam, ſiue virtutem vno tempore duo reges prenſabant ſibi, Angliæ Edoardus, Galliæ Franciſcus: ſinguli freti, ſingulis cauſis, pactione ille, fœdere iſte. Anglus iſte obtenderat pactionem, & vrſerat minis, illecebris: pugnabat tamē ſemper Gallus fœderis & amicitiæ (quæ Scoto ſecū erat peranti qua, multisq; vtrinq; officijs & beneficijs ſancita) nomine in ſpeciē ſane pręclaro, & ad rē id tēporis neruoſo. Siquidē non tantùm pugnabat fœderis nomine, ſed

etiam

etiam expugnabat: fauente matre, Galla Gallo; fauente cœlo, neceſſitati eccleſiæ. Magnum ſanè bonum eccleſiæ, nō nupſiſſe Mariam Edoardo Anglo. Quippe combiberat iſte cum lacte matris Lutherum. Maria ergò quadrima plus minùs imponitur naui, in Galliam mittitur, educatur, illicitur, nubit Francisco Valeſio Delphino, ſecundo eius nominis poſt dicto. Id tàm ægrè fuit Edoardo Anglo, vt, niſi inciſo vitæ filo, ad vindictam miſcuiſſet certè rem Scotis, Anglis. Edoardo ſuccedit Maria, ſoror ex patre. Hæc vt nulli malè fecit, ſic de nullo malum cogitat. Quare nihil morata de nuptijs Scotæ cum Gallo, alijsq; rebus externis, ſolicitè agit rem tantùm regni, eccleſiæ, Dei. Hanc ſiue curam illi, ſiue fælicitatem eccleſiæ præcîdit mors. Varia hîc affectio, hanc mortem partim ferentium è cœlo, partim dolentium ab hæretica fraude illatam. Diuæ Mariæ mortem excepit imperium Elizabethæ. Hic timor à Scota regina, vt hærede Angliæ proxima. De hærede nihil dubitationis, etſi aliquid ſit controuerſiæ, excitum potiùs peruerſitate inuidentium, quàm dicentium momento. Apud Anglos ille mos eſt, vt filij eorumq; ſoboles filias etiam grandiores in imperio præeant. Inter filias poſteà ſolenne, vt quæq; maxima natu eſt, ita eam eiusque ſtirpem, reip. clauum, primam, tenere. Angliæ rex Henricus tres liberos habuit, Henricum octauum, Margaretam, Mariam. Henricus octauus vt anteà vixit & regnauit in Edoardo & Maria; ſic iam viuit & regnat in Elizabetha. Hos enim liberos reliquit ſuperſtites, ſingulos ex ſingulis vxoribus, ex Iana Semera Edoardum, ex Catharina Hiſpana Mariam, ex Anna Bolenia, quam ſuſpicione adulterij multauit capite, Elizabetham. Extincta Henrici Elizabetha, liquet ius regni Anglicani emanare ad Margaretam Henrici octaui ſororem natu maximam, eiusq; ſobolem. Margareta iſta nupſit & peperit regi Scoto Iacobo quarto, Iacobum

cobum eius nominis quintum, fœlicem hac Maria, aureola ſanè filia, cuius iam defenſionem ſuſcipimus. Vides eam hæredem regni Anglicani certiſſimam. Quemadmodum Henricus octauus in Elizabetha, vltimo & ſolo eius ſtirpis germine viget, & regnat; ſic eius ſoror Margareta natu maxima in Maria Scota, huiusque filio Iacobo ſexto & viuit, & poſt Elizabetham regnare debet. Ex hoc iure etſi Elizabetha nihil habet cauſæ, cur timeat Angla Scotam, Regina Reginam, mitiſſimam ſanè, totaque vita auerſam à fuci, ambitionis, odij, lituris: tamen illi ex Caluini ſentina turbatores, qui, id temporis occupato reipublicæ Anglicanæ clauo, mali miniſtri bonæ Principi inſtillabant ſemper errores & opinionum peruerſitates, ſubiecerunt cauſas, cur timeret; ESSE SCOTAM, ESSE ROMANE CATHOLICAM, ESSE VICINAM, ESSE PROXIMAM SANGVINE, ESSE PROXIMAM HÆREDITATE. Quas cauſas? nixas conſcientiæ infirmitate, non rationis momento. Eſt Scota. Quid tùm? Et Anglis cum Scoto erat ſæpè multa amicitia, & hæc Scota tantum habebat ſeminis ac ſanguinis Anglici, quantum conficeret quendam quaſi cinnum amoris, quo in vtramque gentem æquè propenderet. Eſt Romanè Catholica. Quid tum? cum hac religione omnes combibunt animis ſuauitatem, iuſtitiam, pacem, reliquas virtutes: vt certè quò plus haberet huius religionis, eò minus iſti deberent habere timoris. Eſt vicina. Quid tùm? vicinia principum, qui feruntur & feruent cupiditate rerum alienarum; etſi plena ſit periculi & timoris: tamen regina his moribus, hoc animo, tàm propè aberat à ſummo amore & fide in reginam Anglam, vt in eius vicinia ſuam ſpem & ſubſidium videretur collocaſſe. Eſt proxima ſanguine. quid tùm? amor hinc, non timor: niſi fortè id ſit noui monſtri ex noua Caluini lerna, eſſe in ſanguine timorem. Eſt proxima hæreditate. quid tùm? hæreditas à Catholi-

tholicis expectatur, non præuortitur. Nulla eſt ne tenuiſſima quidem cauſa timoris ex Scota, timent tamen Angli, magis quòd ſolent hæredem, quàm quod debent bonam. Nam Taciti Otho, ille imperij pene peſtis, labes certe, etſi dixerat, SVSPECTVM SEMPER INVISVMQVE DOMINANTIBVS, QVI PROXIMVS DESTINARETVR: tamen turbatus dixerat de turbantibus, malus de malis & male. eſt aliquando fateor, cur rex timeat hæredem, elatum ambitione, & hæreſeos vitiorumq; tenebris oppletum: at hunc morem ſolennem habere perpetuumque timendi omnia de omnibus hæredibus, etiam catholicis, etiam mitiſſimis, propè eſt, vt dixerim Mahumetanum. Quemadmodum enim nihil eſt, bonus Princeps bonum hæredem cur timeat; ſic Princeps ſi timeat, prodit profectò hac mentis ignauia, ſe malum eſſe, & velle potiùs, quã poſſe regnare. Quicquid eſt de re, timent Angli, hæredem his moribus imbutam, & huius timoris excludendi viam ſolam putant, ciere turbas in Scotia, miſcere omnia, religionem catholicam eradicare, ſpargere Caluinianam, reginam vocare in contemptionẽ, &, ſi qua poſſint ratione, mouere loco. Huic rei multæ rationes, multæ conſultationes. Secant glaciem per minutos quoſdam hæreticos, qui ex Anglia & Geneua, ſentinis ſordium Caluiniarum ſummiſſi inhalent Scotis contagionem, peſtemq; Heluetieam. Quærunt iſti latebras, non circos; angulos, nõ ſuggeſtus: in quibus facile aduerteris plus algoris de timore, quam ſudoris pro ſua religione. Nam Maria Lothoringa, quæ vices filiæ abſentis obibat in reip. cum primum odore ſuſpicionis ſenſiſſet, eſſe in Scotia, qui Caluino & Anglæ, tanquam idolis, operarentur occulte, nullam intermittit cogitationem vel prudentis principis ad inueniendam, vel bonæ catholicæ ad eradicandã hanc Caluini ſtirpẽ. Vnde cùm res timidius, quã pro mente Anglorũ, gereretur: initur noua ratio occultis inſidijs apertam

apertam authoritatem adiungendi, eamq́; certã, magnam, fultam opinione doctrinæ, prudentię, nobilitatis, ſcientiæ militaris. Erat in Gallia id temporis Scotus ex gente Hamiltoniorum Comes Arranius, à rege Gallo propter corporis reiq́; bellicæ ſæpiùs geſtæ fœlicitatẽ habitus honorificentiſſime, & non ſolùm amplo cenſu auctus, ſed Dux etiã Caſtri Heraldi appellatus In hunc Angli intendunt aciẽ, tanquã principẽ futurũ & ſatorem ſeditionum Scoticarum. Nam IN SEDITIONIB. INTESTINIS CVM AGGRESSIO NON SIT SINE VOCE, PRIMAQ́; VOX DIFFICVLTER MITTATVR NISI À PRIMO, & AVDACISSIMO: has partes & loquẽdi primum, & aggrediendi non putabant commodius poſſe imponi, quàm Arranio, qui in Gallia primas ferè tenuit, & meritus eſt ſermonis, elegantiæ, corporis, fortitudinis. Difficultas erat duplex ex duplici cauſa, ſcilicet ex Arranio, & fortuna. Ex Arranio, quòd Galli partes ſecutus ſemper fuerat, & cum lacte matris odium in Anglos inſuxerat; ex fortuna, quòd eam peramplam iam in Gallia habebat, & ſperabat in dies ampliorem, ſi quod in Anglos conceperat odium, illud verbo, facto, conſilio expromeret. Legatus ergò Angliæ, qui apud Gallum tùm erat, aucupatus occaſionẽ, primùm tentare & illicere mentem Arranij. Cùm illecebram videret excipi non ægre, aggredi aperte, obijcere ſpeciem primi imperij in Scotia, ſegetem ſummæ laudis in euertendo papatu (ſtudebat enim Caluini partibus) ſpem nuptiarum cum Angla, præmium cenſus duplò amplioris, quàm quo in Gallia iam vtebatur. Arranius animo maximo concipiens illa maxima, quæ nunquam peperit, aut monſtroſe ſane peperit, fugit tecte cum quibuſdam miniſtris Anglis in Scotiam. Duplex hic in Arranio error, leuitatis, dum ſequitur potiùs ſpem hoſtis, quam fidem amici; ſtultitiæ, dùm ſperat ſibi optime fore à peſſimis. Vix Arranius poſuerat veſtigiũ in Scotia, cùm omnia ſtrepere

armis,

armis, ſermonibus, inſidijs hæreticorum. Qui anteà miniſtelli ſe abdiderant in angulos, venenum potius meditantes, quàm ſpargentes, iam attollere caput, linguam exerere, acuere calamum, omnia implere Caluino, templum, menſam, aulam. TANTI EST IN REBVS MAXIMIS VNVM LOQVI PRIMVM, AVDERE PRIMVM. Maria Lothoringa, mater, vt loquuntur Scoti, Regens (filia enim hæres adhæſerat lateri Franciſci regis mariti) mittit in Galliam, qui exagitent authores, qui exaggerent periculum, qui petant auxilium ſopiendis turbis. Auditum eſt, conſenſum eſt. Nam rex & Guiſius ſummittunt duces catholicos, quatuorq; millia Gallorum, auxilio, religioni laboranti. Partes in Scotia fiunt, hinc fauentium, illinc obſtrepentium Gallis. Qui fauebant, eccleſiæ commune; qui obſtrepebant, Scotiæ priuatum bonum obtenderant. Arranius dux eſt & anteſignanus eorum, qui Scotiç cauſam, tanquàm velum, prætexuerant ſuo ſceleri. Hinc & hinc arma, hinc & hinc timor, hinc & hinc inſidiæ, magis vtrinque ſingula, quòd profitentur ſe vindices, hæreticis Angla, Catholicis Gallus. Firmior pars hæretica, quò propinquior ex Anglia habet ſubſidium certum, frequens, tutum. Hæretici, ſpecie eijciendi Gallorum, non omittunt occaſionem. Knoxius erepat Caluinum, alij moliuntur alia, rei eccleſiaſticæ vel euertendæ vel auertendæ. Id auſim dicere, hæreſim in Scotia plus turbaſſe, miſcuiſſe, ſuppilaſſe, euertiſſe breuiſſimo medij anni interuallo, quàm in reliquis partibus per ætatem hominis. Ita fuit ſedula, ſubdola, acris. Arranius quaſi victor triumphat, & in horas expectat, indè ex Anglia rei benè geſtæ præmia, nuptias Elizabethæ, penſionem lautiſſimam. Verùm cum expectans expectaret Dominam, nec attenderet ſibi, tandem ſe ſentiens deſertum à Gallo, eluſum ab Anglo, in Scotia non benè habitum, ſe dedidit totum mærori, & ægritudine paulatim tabeſcens,

tabeſcens, pœnam violatæ maieſtatis, diuinæ & humanæ dependit Deo perpetua inſania. Sic tranſit gloria hæreſeos & ſceleris, punctulo efflorefcens, punctulo exareſcens. Angli poſtquam cæperant Arrani-
um vel ludere amantem, vel amentem contemnere, fi-
gunt mentem & ſpem in Iacobo Stuarto fratre ſpurio
reginæ. Hunc vt occupent totum, iubent ſuâ operâ
ſperare ſummum imperium Scotiæ, ſi prudentiæ qui-
buſdam quaſi gradibus eò ſurrepat potiùs, quam vi in-
uolet. Opus eſſe hic conſilio, auxilio; illud in Iacobo
debere eſſe, & ex Iacobo, hoc in ſe fore, & ex ſe. Iacobus viderat ſpem ex Angla, quæ promittebat; ex ſe, qui poterat gratia; ex regina ſua, quæ aberat; ex hæreſi, quę quærebat ducem imbecillitati ſuſtinendæ. Vnde hanc potiundi imperij ſpem, acerrimi animi adoleſcens, nō priùs dimiſerat, quàm vitā. Interea moritur, temporis interiectu non magno, in Gallia Franciſcus maritus, in Scotia Maria Lothoringa, mater MARIÆ STVARTÆ, hæredis Scotiæ. Cogitat igitur hæc Scotiam, hæreditatē ſuam multas ob cauſas; maximè, ne merito videretur orba marito, ſi patriā relinqueret orbam capite. Verùm quia periculū erat ab hoſte domeſtico, Cardinalis Lothoringus, reliquiq; Guiſiani, cōſentiente cōcilio Regio, ſtatuūt mittendā cū milite Gallo. Iacobus ſpurius veritus bonæ ſpei malū exitum, ſi miles Gallus iterùm appelleret, omniaq; imperio teneret & cōſilio, mox in Galliā tranſmiſit. Adit Cardinalē Lothoringū, multaq; inijcit excludendo conſilio de milite. Fruſtrà
poni tantū ſumptū; ſtultè rē tantillā tanto molimine
agi; præſentia reginę, id quicquid erat turbatū, tanquā
ſolis obiectu caliginē, iri diſſipatū; huic rei ſe polliceri
fidē, manum, bonū exitum. CREDITVR, VEL QVIA FA-
CILE SOLET, VBI PARCITVR SVMPTIBVS, VEL QVIA
FATO QVODAM PRINCIPES VOLVNT ESSE CREDVLI
IN MALVM SVVM. Ad naues vniuerſi, regina, ſpurius,
comites, milites. Inſcenſio eſt timida, propter Anglorū

inſidias; deſcenſio fœlix. Nã nobilitas multò frequẽtiſſima, deſcendenti reginæ præſtò adeſt. Varia officia; amantiũ vera, hoſtiũ ſimulata, & numero plura, vt minus videantur ſimulata. Nã vt quisq; odit maximè, ita maximè fingit ſe amare, dando, adulando, ſeruiendo, obſequendo omnia. NOCENTIOR FRAVS QVO TECTIOR, NISI PERICVLOSIVS FORTASSE FERIAT CORNV TAVRVS, QVAM CAVDA SCORPIO. Iacobus ſpurius tantam hic & poſteà ſpeciem boni viri præ ſe tulit, vt Regina ſe putet iniuſti ingratiq; animi deuinctam criminibus, niſi remuneretur fidem ſeruientis, amantis candorem. Fidem? odium. Candorem? fraudem, ſed fraudem & odium velo tam ſubdolè obtenta, vt viderentur amor & fides etiam ijs, qui nouerant conſilium, & certè timuerant in tam pulchra ſpecie non animum illum, quem volebant. Regina pendens officiorum momenta fronte, eũ dixit comitem Murrauium, cenſuque ornat annuo librarum Scoticarum vicies & ſexies milliũm. Ambitum regni non incidit ſpurio beneficentia reginæ, auget magis nouus honor. NAM INGRATO QVICQVID FECERIS, CONTRA TE
» FECERIS. Hæretici mox confluunt, gratulantur no-
» uum honorem, nouam ſpem, nouam commoditatem
» profitendæ religionis nouæ, acceſſionem honoris eſſe
» ex Deo, vt proferat fines Euangelij, niſi proferat, vin-
» dictam fore à Deo. Is audire, non quòd curet religio-
» nem, ſed quòd in religionis nòmine & velo videat expeditiorem viam ad id, quicquid conceperat animo, perficiundum. At quid tandem concepit animo? quicquid Scotia coercebat complexu, diadema, reginæ mortem, religionis antiquationem, aut certè labem. Nihil hoc. Vaſtior ſpurio animus, quam cui Scotia ſatis erat. Vorat etiam ſpe Angliam, quaſi hæres poſt Elizabetham, vel quaſi maritus conregnator cum Elizabetha. Hanc ſpem putant quidam iniectam ab Anglis. Probabile hoc. Vt iuueni ſcilicet elato facerent

gran-

grandiores animos ſpe nuptiarum, & duplicis regni. PROBABILE INQVAM, QVIA TRITVM ANGLÆ, QVOTIES VVLT EVERTERE, AVT TIMET EVERTI. BLANDVLA PVELLA FACILIVS PERDIT, QVAM POTENS REX. Cur facilius? QVIA DVLCIVS. NAM FALLIMVR DVLCEDINE SVPINI, FALLIMVR A MVLIERIBVS, libentes. De Angla deceptrice quicquid probabile, non certè eſt improbabile, hunc ſpurium elatum cupiditate dominandi adiecisse oculum & animum ad Angliam, ſi Anglæ ſuperſtes fuiſſet, quaſi proximè fluens ex Henrici octaui ſemine. At ſpurius. Nugæ hoc, vbi ſpuriis relinquant locum religio, conſcientia, timor, &c, quod propius eſt, EXEMPLVM. Vt videatis, & quæ dixi, & quæ dicturus ſum, dici à me latinè, non oratoriè, videte hominem, aut potiùs labem hominis. Nam quicquid dicitur, fingitur labis, in hoc homine hæſerat. Matrem habuit ex nobiliſſima & honoratiſſima Askinorum familia vxorem nobilis Klainij, patrem Iacobum quintum, regem Scotiæ. Ex regio, quod putatur, ſemine, regius quidem ſpiritus & grandis: ſed ex matre omnium ſermone venefica animus veneficij & maleficij plenus. Pater timens mali oui malum pullum, videnſque peſſimam matrem in filio apparere, creſcere, matureſcere, timeri, odio haberi; cùm monaſterij, non bonæ mentis ſeptis incluſum dixit Priorem Sanctandreopolitanum. Mittitur in Galliam imbuendus, aut potius inficiendus à Ramo. Poſt mortem patris redit, contemptor religionis, vt valdè timeretur Caluini filius; maledicus in omnes, vt facilè videretur Rami diſcipulus. Nihil propius, quàm Caluinum & Ramum, duas ſanè duarum maximarum rerum maculas, illum religionis; hunc ſcientiæ, in vnum illum ſpurium fuiſſe incluſos. Poſt reditum exuit perſonam monachi; induit regij filij. Vbique enim ſe oſtentare, gerere pro regis filio; tueri tamen dignitatē cenſu monaſterij; quærere occaſio-

nes augendæ rei, omnia polliceri omnibus, hæreticis Caluinum, Catholicis Eccleſiam, potentibus gratiam, miſellis fortunam. Luxuriam etiam, auaritiam, ambitionem obſtructione & velo parietum, frontis, verbi tàm commodè tegebat, vt hac labe nihil videretur nitidius. Deniq; ſimulando, diſſimulando effecit, vt putaretur dignus regno, foris Brutus, intus Catilina. Monſtrum peccati ex adulterio patris, veneficio matris, prauitate Caluini, maledicentia Rami, omnium denique ſimulatione & auaritia miſtus & concretus ad regni, religionis, ſeminis regij internecionem, aut certè contagionem. Hac fortunæ illecebra, & na-
" turæ peruerſitate aggreditur ad rem. Primùm author
" eſt reginæ, ne cogitet ſecundas nuptias, plenas pe-
" riculi, plenas ſuſpicionis, plenas moleſtiarum. Li-
" berum lectum nullaque lege vinctum haberi dul-
" ciorem. Eſſe reginam, eſſe ſummam, eſſe ſolam, cu-
" ius nutu omnia regerentur. Notam fore animi minu-
" ti & depreſſi in terram, cùm poſſit dominari, velle
" ſubeſſe; cùm debeat regere, poſſe alterius ſe nutui per-
" mittere. Ad regni regijque ſeminis propagationem,
" enixè, importunè rogare, vt diadema ſibi, alijsque
" perpetua ſerie Stuartis addicat. Rem loquor non ſolùm notam nobilitati, ſed tritiſſimam etiam vulgi ſermone. In reliquos Stuartos certo rectoque lecto natos (huius enim nominis regnum eſt hæreditarium) etſi facilè itum fuiſſet à tota nobilitate: tamen de Iacobo filio illius matris, quæ lecti genialis labem cumulauerat veneficio, multaque grauiſſimorum ſcelerum infamia, videbatur fore labes regni & gentis perpetua Facilè negaretur à Bucchananis, Iacobum hunc ſpurium adieciſſe oculum ad regnum, niſi ſpurius hic voce ſua, quam plerique Scotiæ nobiles audierant & deteſtati ſunt, confirmaſſet Bucchananos hac parte velle potiùs quàm poſſe mentiri. Regina nec ſuſpicata dolum, nec mota precibus Iacobi, confert cogitationes

nes

nes cum eo de marito, quaſi ſolo modo ſopiendarum aut potiùs excludendarum litium, quæ de regno futuræ videbantur. Quantus aculeus huius vocis? fert tamen, & probat. Illa non tàm intenta in nuptias, quam in nuptias regno & religioni ſalutares, ex omnibus vnum ſeponit Darlæum Baronem. Darlæus iſte fuit magni ſpiritus, & corporis ea conformatione, habituque, vt hac PENELOPE videretur dignus ille VLYSSES. Fuit quidem ille infra fortunam reginæ. Verùm regina cogitauit, non quantus ille, ſed in illo quantum momenti erat ad reip. pacem. Fuit hic iuuenis, Baro dignitate, ſanguine Princeps, ex Angliæ regia ſtirpe tàm propè fluens, vt Mariæ Stuartæ cum eo poſt Elizabetham videretur futura contentio aut certè diſceptatio de regno Anglicano. Series ſanguinis hoc fonte & continuatione eſt. Elizabethæ Maria Stuarta, Mariæ mater Darlæi, matri Darlæus debebat ſuccedere. Res quàm nota ſemper doctis, tàm nunc etiam trita illis ex populo. Adde Darlæo, Stuarto fuiſſe cognomen ex Scoto ſemine regium. Ad ſopiendam litem voluit regina riualem, etiam infra ſuam dignitatem; ad tuendum cognominis regij honorem voluit Stuartum, etiam pauperculum. Laudatur Reginæ ibi pietas, quæ Rempublicam, non ſe; hîc prudentia, quæ ſe, non fumum ſpectabat, & fortunam. Iacobus ſpurius frendens his nuptijs excludi ſpem ſummi in Scotia imperij (videbatur certè fore ex tàm vegeta ſtirpe flos) ſuſcipit cogitationem de Darlæis, patre & filio, extinguendis, atque ipſa regina in lacus Leuini arcem, tamquàm carcerem, condenda. QVID NON COGIS SACRA REGNI FAMES? Sed vt videatis Dei prouidentiam in maximis maximè enitentem, contra ſpem, ſupra malitiam improborum, aperitur conſilium, Darlæi ſeruantur, ſuccedunt nuptiæ, timet ſpurius. Leuitas Reginæ, & animo antecepta opinio de fide fratris ſui (hoc nomine honeſtabat illa labem Iacobi)

facit, vt timor ſpurio potiùs augeat ſpem, quàm animos minuat. Pulchrè ille; TIMOR, SI NON COERCEATVR, ACVIT. NAM VBI LOCVS EST PVRGATIONI SCELERIS, ET SEMEL PVRGATVM EST, AGGREDIMVR POSTEA FACILES, QVÆ TIMIDI ANTEA PVRGAVIMVS. Id hic clarè. Nam ſpurius purgando ſceleri adhibet artificium frontis & verbi, tàm callidè, tam rectè, vt credatur non cogitaſſe, quod iurauit facere. Quare vt ſit nec timor, nec timoris cauſa, mentitur nouus Catilina amorem, fidem, animum bonum erga Darlæum, & mentitur non fronte tantùm, ſed et-
„ iam verbo ſtructo affabrè. Iam diu eſſe, cùm illius cau-
„ ſa cuperet ad inſignem amoris notam aliquid, non
„ commune illud & leuiculum poſitum in verbo, in nu-
„ tu, in manu, ſed diadema, Scotiam, nomen regium, o-
„ mnia ſumma. Hoc deberi virtuti, perſonæ, cognomi-
„ ni, indoli, communioni lecti, qua reginæ iungitur.
„ Tàm inſignem iniuriam tantis vel meritis, vel officijs
„ factam non poſſe, non debere ferri. Prudentiam reli-
„ quis Scotiæ nobilibus inſculpſiſſe eam mentem, vt ve-
„ lint; fortunam reliquiſſe eam facultatem, vt poſſint e-
„ um hoc regis nomine & honore ornare, ipſe ſe ſi exci-
„ tet, aut verius ipſe ſe ſi non deprimat. Eſſe fractioris a-
„ nimi, potius ſequi nutum & quaſi caudam fœminæ,
„ quam mentem & lacertos viri. Sumat ipſe animos, fa-
„ cilè virum præferri fœminæ, extra Rempublicam A-
„ mazonum, apud Scotos maximè, qui à iactis regni
„ fundamentis principem ſuum voluerunt vocari non
„ Scotiæ, quaſi agri, ſed Scotorum, quaſi virorum re-
„ gem. facilè permitti Scotiam reginæ, Scotos velle re-
„ gem, & Darlæum regem. Ad aucupium gratiæ hacte-
„ nus. Ad inuidiam iſtud, Reginam nec bene facere, nec
„ prudenter cogitare, quæ quem aſciuit in Societatem
„ lecti, cum non ornet regis nomine. Mirari ſe, Darlæ-
„ um, qui in reliquis reb⁹ animi maximi & cœleſte quid
„ ſpirantis erat ſigne, hic [illegible] & anguſte, [illegible]

con-

contemni à fœmina. Eſſe reginam, mollius ferendam; «
ſed reginam contemptricem, non ſemper ferendam. «
Quid? quòd inferat regina iniuriam, non ſua volunta- «
te, ſed conſilio Dauidis Itali? non concoquendam fa- «
cilè iniuriam ab hoc homulo, qui tam impotenter fert «
fortunam proſperè fluentem, vt & nobiles contem- «
nat, & infra omnes nobiles reginæ maritum abijciat. «

Dauid iſte Subaudus fuit, non magnæ familiæ, ſed multi iudicij vir, hoc nomine chariſſimus reginæ, quòd dignus videretur, qui eſſet chariſſimus omnibus, prudens, ſagax, vafer in omnem partem, & vſu iam factus gnatus Reipublicæ; vt quàm facile videret conatus malorum, & eluderet, tàm libenter laudaret conſilia bonorum, & iuuaret. Illud iſto inerat vitij, quòd viris videbatur fœmina, cantillans ſcilicet mollius, quàm decebat virum; ſæpiùs, quàm conſiliarium reginæ. Quanquam quis reprehendat, eum miſcuiſſe vtile dulci? omne tulit punctum, meo, Horatij, ſaniorum iudicio. Malè profectò perſtringunt reginam, quòd hunc aurium animorumque artificem aſciuerit in Societatem ſecretiorum conſiliorum, multiſque honoribus auxerit. Vnus enim omnia, muſicus honeſtam voluptatem, ſanum conſilium prudentiſſimus attulerat. HOC SOLVM NOMINE INFOELIX, QVOD IN ALIENA TERRA ERAT NIMIVM FOELIX. Nam odium erat in eum omnium, hæreticorum vt Catholicum, Catholicorum vt potentem, coniuratorum vt fidum, fauentium vt ſuperbum Reip. rectorem, & ſua voluntate ſolum. Hæreticis non ſatis erat odiſſe Catholicum, niſi etiam tendant inſidias capiti, quod habebat vt oculos videndis, ſic mentem excludendis illorum machinationibus. Omni itaque dimicatione contendunt, vt hos oculos, hanc mentem eruant Reip. huic rei ſeritur lis inter Dauidem & Darlæum. Aſtute. Hac face poſſe deleri & à Darlæo Dauidem, & Darlæum à regina, & reginam à ſeditioſis, idque ſolo peri-

culo eorum, quos ſolos ſpurius voluit deleri. Hinc eſt, cur Darlæus audiat aliquando ſales, aliquandò conuitia ſpurij in Dauidem tanquam riualem hoſtemque regij nominis. Reprehendebant alij Italum. Vbi iſtuc reprehenditur? in Anglia? ſtultè, vbi tùm demùm habentur optimi viri, cùm ſint imitatione Itali. At vbi tandem iſtud reprehenditur? in Anglia? inique, vbi honos ingenio, non genti, virtuti, non ſanguini habetur, ſi quo alio in loco: niſi fortè Caluinus inuerterit orbem rerum, & ſtatuerit nouam legem, præferendi peſſimos ſuos optimis alienis. Cùm ſpurius nomen Dauidis omni ſermone vſurpet ad conuitium Darlæi, nec quicquam proficiat (Darlæus enim hactenus viderat, quem Regina habebat cordi, ſibi non debere eſſe odio) frendere vehementiùs, quàm vt iram poſſit tenere intra ſepta pectoris. Propè enim eſſe, vt excidat omni ſpe regni, ſi communio illa lecti inter Darlæum & reginam diu maneret integra. Ex tàm pulchra ſtirpe, pulchram fore prolem. In prole quæ ſpes reliqua? communionem illam, cùm non poſſit arte diſſui, vi diſrumpendam. Coit ſocietatem conſiliorum cum ſuis. Itur in ſententiam capiendi arma, ſpecie vindicandæ nobilitatis ab iniurijs Reginæ, totum incumbentis in partes Pontificias. Res Scotiæ id temporis hoc ſtatu erant. Nobiles hæretici, diu erat, cùm Eccleſias expilaſſent & monaſteria, quodque erat vel opimi agri, vel lautæ ſupellectilis, rapuiſſent, addixiſſent ſibi, quantum poterant, ſua quiſque vi. Illi etiam qui rem regni, & tenellam reginæ ætatem regebant, plurimum theſaurum regium vel domum ſuam ſeuocarant, vel alijs Cerberis, tanquam bolum obſtruendo ori, obiecerant. Legeram, & de perfidia Caluiniana certè credideram, rei regiæ & Eccleſiaſticæ in tres partes diuiſæ, duas regno & Eccleſiæ præceptas perfidia Caluinianorum ceſſiſſe nobilitati. Regina non fert hanc regni labem & imminutionem, ſed primo quoque

que

que tempore refigit, id quicquid donationis, dicti, capitis in illa ſuæ ætatulæ infirmitate contra ius faſque editi, rem ſolij & diadematis traduxerat aliò. Iuſtè, ſiue ſpectes rem Reip. nefariè occupatam, ſiue aciem defigas in regni leges, quæ regi vigeſimum tertium aut quintum ætatis annum agenti faciunt poteſtatem liberam reſcindendi, quicquid ab alijs in ſuæ ætatis infirmitate dictum, factum contra maieſtatem. Viderant maiores, viri à natura & rerum vſu pręclarè informati, hac ſalutari lege, tanquam fræno, cohibitum iri illam auaritiæ ſordem, qua plurimi regiæ ætatulæ adminiſtratores, & vſi ſunt, & vſuri videbantur, in re ſolij domum ſuam ſeuocanda. Spurius vt faceret reginæ inuidiam, ſpargit, quicquid nobiles occuparant Eccleſiaſtici fundi & ſupellectilis, id reginam ex illorum domibus & familijs in Eccleſias iterum & monaſteria auerſuram. Rationem hanc excogitari extremam per cuniculos vt nobilitatis ſubtuendæ, ſic papiſmi excitandi; incepiſſe in re regia, deſituram in Eccleſiaſtica. Timebant omnes, quorum intererat, vel quòd rem regiam viderant reſtitutam, vel quòd ſpurius conſtantiſſimè confirmarat. De re regia erat ſuſurrus tantùm, PERICVLOSVS SANE, QVIA DE RE REGIA. At de re Eccleſiaſtica apertæ erant querelæ omnium, ſe quidlibet potiùs & priùs admiſſuros, quàm papiſmum; Reginam poſſe ferri papiſmi fautricem & fotricem, at papiſtarum actricem & auctricem debere aut eijci, aut in ordinem cogi. Ex querelis nata ſunt arma. Huc affluit quaſi ad ſentinam, quicquid erat ſordium Caluinianarum in Scotia (erat autem plurimum) vt defendentium nobilitatem & Caluinum. Iacobus ſpurius, author, dux belli. Verùm incepit maiori animo, quàm euentu. Nam eodem ferè tempore increpuit belli & concepti, & confecti fama. Hæretici quidem ſe aggregabant Iacobo plures & inſtructiores. Catholici tamen, Deo & regina nixi, accisis hæreticorum viribus, ſpu-

rium compulerunt in latebras, & latebris fœdiorem fugam. Quippe in Scotia cùm intelligeret VVLPES, nullam ſibi latebram fore tàm tutam, & incluſam, quam hi Dei venatores odore quodam veſtigij non perſentiſcerent, correptauit in Angliam, ſeque abdidit in gremium reginæ, quæ bonos Scotos & Reip. fauentes euertebat bonis, omnibuſque iniurijs vexabat, peſſimos verò, maximè qui perduellionis & hæreſeos fraude deuincti erant, omni amore & officio complectebatur. Non poſſum non hìc monere bonam fœminam, QVÆ INSIDIIS SIC PERDIT, INSIDIIS PERDITVM IRI: niſi fraudes, quas concepit religionis & Reip. violatæ inexpiabiles, eluat vindicetque dolore, lachrymis, bona fruge. Nonne aperta fraus, SI QVID TAMEN IN FRAVDE POSSIT ESSE APERTVM? Vt perſuadeatur bonis, Scotis, qui à regina erant, nullam Elizabethæ cum perduellibus Scotis communionẽ eſſe & ſocietatem vel conſilij, vel fraudis: publicè nunquam illa ſpurio fecit copiam oris aut auris, quin potiùs conuitium fecit, vt ingrato, vt perduelli, vt indigno luce communi. Fruſtrà diſſimulas Elizabetha. Scoti nec tàm cæci ſunt, vt non videant; nec tàm ſtulti, vt non intelligant, quam telam intexis in illorum perniciem. Norant priuatas tibi cum ſpurio congreſſiones, norant quo duce, norant cui rei pecuniam ſubiectam, conſilia inita, fraudem conceptam. Omnia occulta ſinerem parietibus priuatis tegi, niſi quàm erant tunc priuata paucis, tàm eſſent nunc aperta omnibus. Has Angliæ tenebras ſpurius non patitur ſibi fluere ſine fructu. Artificio enim ſuo, & precibus quorundam Anglorum, animum Reginæ Scotæ facilem flexibilemque ad omnem mititatis ſpeciem expugnat, atque reditum exorat ad patriam, ad honorem, ad gratiam. Verùm cum probè ſciret, Dauide Italo viuo, nunquam ſe domi inuenturum aut locum mendacio, aut inſidijs velum, in id operam dat ſedulò, vt iſte ſuorum conſiliorum obex

ſummus

ſummus & ſolus priùs moueatur, quàm ipſe Scotiam veſtigio inſiſtat. Datum ergò per literas hoc negotium paucis ſuæ ſordis hominibus, præſcripta ratio, prælata ſpes fortunæ, ſi ſeriò agant. Agunt ſeriò. Siquidem regem inducunt eò, vt quæ antè ſpurius ſeuerat ſuſpicionum ſemina, illa iam ille credat eſſe vera, à Dauide ſcilicet ſe contemni, lectum genialem violari, diſſipari rem ſolij, nobilitatem neglectim haberi, denique vnum omnia & poſſe, & facere tanta ſuperbia, vt quam ſit illud priuatim regi minutum ad vilitatem animi, tàm regno eſſet publicè fœdum ad infamiam. Rex pro impetu illo, quo adoleſcentes feruent, vindicandæ infamiæ, cum his proditoribus coit ſocietatem interimendi Dauidis. Huius facinoris, vix eſt, vt ſtatuam maioremné fraudem in conſilio, an audaciam in facto, an barbariem in modo, an contemptionem reginæ in tempore. Eſt enim in palatio regio locus, anguſtè incluſus, ſed, vt ſepoſitus à turbis, percommodus menſæ. Regina cùm vellet ſe ſubducere turbis pompæ, & obtutibus reliqui populi, qui frequens ſæpè in menſam irruperat, ſecedebat in has anguſtias, paucoſque adhibebat vel menſæ ſocios, vel ſermonis teſtes. Aſciti plerunque Dauid, & Comitis Argatheliæ vxor, participes, ille ſecretæ cogitationis, hæc honeſtæ voluptatis. Nocte, quæ Dauidis fuit vltima, ſoli illi duo cum regina cænabant, Dauid, vel quòd inaudierat ſuſurrum, vel quòd diuinarat (DIVINAT ENIM MENS IN MORTIS ARTICVLO, ET COELESTI INSTINCTIONE VIDET MALVM PROXIME APPETENS) reginæ narrat de inſidijs, & inhorreſcens narrat, quaſi pugionibus iam in ſuo pulmone hærentibus. Regina iubet, bono eſſe animo. Non aliquid periculi eſſe ab inſidijs, quæ foris tenduntur: nec quemquam eſſe tàm proiecta audacia, qui illum receſſum violet. Inſidiæ eò minùs timentur, quò certiùs ſibi perſuadet regina, regem maritum eſſe ab illa labe integium,

grum. Nam aditus in illum receſſum fuit ex regis ſolum cubiculo, quod infra reginam erat, locus ſanè commodus ad inſidias. Ex cubiculo regis, ſcalæ erant vt anguſtijs & tenebris impeditæ, ſic ſinu & anfractu inciſæ. In ſupremo gradu oſtium erat ad reginæ cubiculum, ad cellam, ad omnia adyta, peruium ſoli regi. Rex qua opportunitate vti debuit ad honorem & voluptatem, ea abutitur ad fraudem reginæque extremam pœnè miſeriam. Ex hoc oſtio tectè ſe inſinuat in locum cœnæ Patritius Ruuenus, fax & fæx ſicariorum, aperiente & præeunte rege. Ruuenum putas, quis homo? tectiſſimus ad fraudem, promptiſſimus ad ſcelus, tàm cuique inimicus, quàm quiſque virtuti amicus. Oderat Reginam, vt Catholicam, vt alijs bonis notis inſignem, ſed nullo alio infeſtiùs nomine oderat, quàm vt reginam, vir contemptor & violator omnis authoritatis, humanæ, diuinæ. HÆC ILLVSTRIS EST NOTA SERIO CALVINIZANTIS. NAM ODISSE OMNES BONOS, MAXIME PRINCIPES ET REGES, ISTVD EST CALVINIZARE PERFECTE ET AD NORMAM. Irruptio ipſa per ſe etſi ſatis fuerat terrere hominem omni parte infractum, tamen illa animi vis fuit reginæ iniecta è cœlo, vt moueretur ſpecie non tàm irruptionis, quam huius hominis, armati, globo ſicariorum ſtipati, & macie cutiſque ſquallore, quem inualitudo longa induxerat, monſtroſè fœdi. Regina, qua eſt magnitudine animi, potiùs pallida impetu iræ, quàm pauida timoris ignauia, hominem inſpicit & deſpicit molientem res nouas, in loci illius receſſu, qui nequiſſimis quibuſque hactenus ſolebat eſſe inlibatus & ſacroſanctus. Ruuenus tamen Reginæ nec veritus vocem, nec reuetitus maieſtatem, maiori concepto ſpiritu, Dauidem
„ adit, iubetque cedere locum, in quo ſedebat, ſum-
„ mum ſcilicet ſummis viris. Illum verò terræ filium,
„ & ex hara domeſtica non ita pridem extractum ſtul-

tæ fœ-

tæ fœminæ gratia, nec poſſe, nec debere ſuſtinere „ hunc loci ſplendorem. Noctuam illum eſſe, & ſtultè „ noctuam, quæ ſe putat aquilam, quòd maieſtatem „ Principis, tanquam ſolis lucem, ſummiſſionis quadam „ & ſuauitatis nube tectam intueatur fictis potiùs quam „ fixis oculis. Hanc ſtultitiam non eſſe ferendam illis, „ qui rectâ tuentur, facileque ſecernunt & noctuam ab „ aquila, & ſolem à nube. Quare prodeat in malam rem, „ ſeque dedat ijs, qui hanc ſiue ſuperbiam, ſiue ſtultiti- „ am poſſunt, ſolent, debent perdere. Regina, contempto hoc monſtro, dum conatur oppoſitu corporis Dauidem vindicare, à nece, audit, ſentit, quæ in nulla barbarie aut à viro grauida, aut à ſubdito regina. Quis crederet? ſicarius alter, Andreas Karreus ira odioque inflammatus, Reginæ iam proximæ partui obijcit ſclopum, cum minis, niſi ſe teneat, ſinatque Dauidem, feriendum hunc etiam per corpus eius. Per corpus? bellua, vbi mititas? per corpus Reginæ? furcifer, vbi reuerentia? per corpus reginæ grauidæ? monſtrum, vbi pietas? ſi non te cohibuiſſet aut mititas erga fœminam, aut reuerentia erga Reginam, certè debuiſſet tenere intra tuas fauces vocem illam funeſtam Iacobus ſextus, aureolus ille partus, tenellis licet lateribus adhuc incluſus, futuræ tamen virtutis ſpeciem in oculo matris emittens, lateque ſpargens. Etſi calamus meus difficulter hæreat in his ſcopulis, ſcopulis ſanè nefauſtis (ad quos vno tempore quatuor orbis gemmæ penè naufragium fecerant, Anglia, Scotia, Maria optimæ mentis Regina, Iacobus optimæ ſpei rex) tamen non poſſum non monere, Iacobe rex, te quàm inſidioſè petitum à Caluino inter ipſa adhuc matris latera, tam fœliciter è cœlo ſeruatum fuiſſe, magno, quantum auguror, Catholicæ Eccleſiæ bono. Examino, non numero ſingula. Petitus es à Caluino inſidioſè. Cur? vt Caluinum apertè aggrediaris, nobiſque conficias. Etiam petitus inter latera matris.

Quid inde? vt intelligas ſola matris ECCLESIÆ latera tibi tuta fore. E cœlo te fuiſſe ſeruatum vidimus, credimus, illi fini, vt cœlum nobis propages in Anglia, Scotia, Hybernia tua. Magnum iſtud Eccleſiæ bonum, & eò maius certè, quò hæretici contentiùs conabantur hanc aut nobis ſpei, aut tibi gloriæ frugem præcidere. Nam Murtonius ille id hoc tempore per ſuos egerat, vt non ſolùm Dauidem matri, ſed nobis, qui trium regnorum continemur complexione, te, patrem, matrem vna auferret, & in vobis ſpem Catholici ſeminis. Omnibus coniectura eſt, & pleriſque etiam certa ſcientia, illum Karræum habuiſſe à ſpurio has partes impoſitas, vt Reginam tuam matrem, ſi per tumultum poſſet, traijceret; ſi non poſſet, timore iniecto, abortum crearet tui, id eſt, ſpei noſtræ. Si cecidiſſes nobis, Iacobe rex, mater fortaſſe tua, & pater ſtetiſſent. Quantulo tempore, Deus bone? vobis enim viuis, nulla ſpes regni ſpurio reliqua eſt. At huic ſpei viuebat ille, quantum viuebat. Quare quod ſperabat, eum conſequi ſe poſſe nullo modo ſtatueret, videnteaũt te, Iacobe Rex, lucem, aut matre maritum; aut marito regnum: conſpiratio fuit vt apertè ſuſcepta contra Dauidem, ſic occultè inita ad vos tres auferendos, te luci, matrem marito, maritum regno. Antiquum illud eſt, & ſanè verum: MOTVS AVLÆ MVLTI EXTINGVVNT NON MVLTOS, SED MAGNOS; MOTVS AVLÆ MAGNI EXTINGVVNT NON MAGNOS, SED MVLTOS. Fuit hoc tempore in aula Scotiæ coniuratio non tam magna ex magnis, quàm multa, & a Iacobo ſpurio in totam ſentinam Caluinianam latè diffuſa, quæ hùc intendebat aciem, vt, tribus iſtis obicibus ſublatis, ſectæ ſuæ fundamentum in ſpurio illo iacerent altiùs, quàm vt poſſit commoueri. Quàm propè aberant ſicarij à ſua mente? tua hic, Deus, gratia non humanæ prudentiæ vis valuit. Nam maritus niſi manu mouiſſet ſclopum, corporiſque obiectu cauiſſet

niſſet reginæ, fuiſſet certè, vt vno ictu caderēt omnes, filius, pater, mater, ſpes ſolæ regni, religionis, Dei apud nos. Satis mali fuit regno, perijſſe Dauidem, cautum ſanè hominem, mirumq; artificem hæreticæ fraudis, elidendæ, ſi pugnaret, eludendæ, ſi obſtaret. Non alia profectò cauſa huius necandi, quicquid boni veli inducunt mali homines. Nam alios Atheorū & Iudęorum fraudibus obſtrictos tulerunt. Tulerunt tantum? in oculis, in medullis etiam habuerunt, vt agnatę diſciplinæ homines, maliſq; ſuis artibus ſtudentes potiùs, quàm obſtantes. Malum fuit Dauidi huic Italo, eſſe bonum: ſed malum apud malos. In bonorum animis hærebit ſemper boni viri & in Remp. conſulentis gratiſſima memoria. Ad filum. Poſt necē Dauidis Regina fruſtrà clamans & fremens ſe indigniùs haberi, quàm pro dignitate, conditur ſola in cubiculi interiorem receſſum. In lachrymis, in precibus, in dolore defixa dū ſe, ſuumq; partum commendat Deo, ſentit è cœlo opem, operam optatam potiùs, quàm ſperatam. Id ponderis erat in ſanctis eius lachrymis & precibus, vt marito Deus bonam mētem inſtillaret, ſuaſq; cogitationes ſegregaret à communione eorum, qui peſſimas mentes optimorum verborum tegumentis inuoluebant. Nam maritus quas manus attulerat ad facinus indignū tanta perſona, eas recenti ſanguine calentes tendit iam ſupplices ad Reginam de venia. Peccaſſe ſe quidem, ſed errore, non odio; non mente mala, ſed alienæ fraudis inſtinctione. Quā ingrati animi notam conceperat, eam ſe parendo, amando, benè faciendo abſterſurum, ſi locum inuenerit gratiæ & veniæ. A DOMINO FACTVM EST ISTVD, ET TAM EST MIRABILE IN OCVLIS MEIS, inter medios ſicariorum enſes ſaluam hanc reginam, q̄ à iudicum iniquitate vindicatam Suſannam. Nonné à Deo eſt? res non videtur conſilij. Nonné à Deo eſt? extrema immanitas ſubmittitur in ſummam ſuauitatem. Nonné à Deo eſt? vincit lachrymis & ſolitudine,

quæ

quæ maieſtate & comitatu non poterat mouere. Regina non tam mærebat de malo facto, quam de bona iam mente mariti gaudet, maximè quòd videtur concepta, vt punctulo, ſic è cœlo. Quare iubet eum ſperare, contra quàm meritus eſt, optima ab vxore, maxima à regina: ſi hanc viam, quam veſtigio preſſit, conſtanter inſiſtat. Amor eſt vtrinque lachrymis ſancitus, eò firmiùs, quò viderant iam clariùs, Regina maritum fuiſſe callidè circumuentum, Rex vxorem iniquè violatam. Poſtridiè cædis Dauidicæ in Angliam qui fugerant coniurati, & in his princeps Iacobus ſpurius redeunt, auxilio & conſilio ſicarijs, tanta reliqui negotij nectendi opportunitate, quantam è cœlo ſanctiſſimus quiſque vix ſperarit: vt videas iſtis perduellibus occaſiones quæſitas, non obiectas. Res in Anglia hoc ordine eſt nexa, vt priùs Dauid extinguatur, quam ſpurius redeat; redeat tamen ſpurius ipſo articulo, qui cædem excipit, opportunè ſicarijs, ne hi ſcilicet priùs ſceleris luant pœnas capite, quàm ſpurius præſtò poſſit eſſe conſilio. Res vt nexa, ſic confecta, tàm infœliciter bonis, quam malis commodè. Nam proximo poſt cœdem die (vt dixi) ſpurius cum ſuis ex Anglia in aulam affert fictam mentem regibus, certam peſtem regno. Sicarij quia ſciebant aulam plenam tumultu, nec in tanto tumultu poſſe exerceri iudicium, eunt priùs ad prætorium, quam diuerſorium. Cùm non eſſet, qui ad tribunal ſederet, partim cauſati, diem hanc dictam, qua vadarentur, partim queſti tribunal vacuum iudice ad ſtatam diem, pœnam deprecantur à ſe, ac culpam totam deriuant rectè in Dauidem, alioſque reginæ amicos, quaſi quorum maleficio excitæ turbæ, deſerta fora, iuſtitia negata, Reſpublica ſeditionibus & turbis permiſta. Malitioſè, ſiue diem adferant, ſiue cauſam. Nam nec dies vlla vadimonio dicta, nec cauſa fori deſerti ex iudicum ignauia, ſed ex reorum malitia. Id enim egerunt omni dimi-

dimicatione per ſuos, ne in tumultu & pauore omnium poſſit eſſe forum, nedum lex fori. Deindè quid petunt forum & tribunal? ridiculè ſanè, ad tegumentum potiùs ſceleris, quam deprecationem. Appellabant indè ex Anglia, non ad ſuæ cauſæ iuſtitiam, ſed ad reginæ clementiam. Notum enim publicè erat, eos contra reginam arma cœpiſſe fraude, poſuiſſe vi; metu pœnæ fugiſſe in Anglia, ac tandem, interpoſitu Anglæ, ſceleris veniam oraſſe & exoraſſe: vt hinc pateat hos nebulones in foro veriùs fucum malæ, quam bonæ cauſæ iuſtitiam quæſijſſe. Eodem die, quo hic fucus erat foro publicè factus, ſpúrius adit reginam, ſalutat, offert operam; præfert fidem; & ſtata fronte, quaſi à recentis cædis conſcientia integellus, petit veniam ſceleribus prateritis, & futuris honoribus ſpem. Regina, fœmina profectò naturæ ſupra fœminas beneficiæ, omnia facit, quibus ſuadeat & perſuadeat, in ſuo iam animo de fratris (fratris nomine ſpurium ornabat) aut malo facto, aut mala mente, ne tenuiſſimam quidem ſuſpicionem reſidere. Tumultuatur intereà aula, & partim ſuſpicionibus, partim rumoribus plena amat; odit; deſperat, ſperat, quærit quod non inuenit, inuenit quod non quærit, timet; inſidiatur, cogitat aſyla, quidlibet agit, ne quicquam agit: vt qui Cæſares legerit intetemptos, Brutos aliquos timeat in aula, verbo dulci mentem perfidam velantes. Regina (qua eſt acie & intelligentia rerum) ex apertis iudicijs odorata occultas inſidias, illaſque illa nocte exituras in neruum: confert caput cum marito de modo præſentis periculi declinandi. In manſione inquit eſſe mortem, in fuga aperta apertum diſcrimen. Maritus videns & tangens non id agi, vt extincto Dauide; ipſe ſolus regnaret (id enim obtendebatur) ſed vt Regina nudata conſilio magni ocularique viri, via fiat alijs cædibus: ſibi timens & vxori, conſentit in fugam. Aggrediuntur ad rem, quàm poſſunt tectiſſimè. Nam

PRODITIO TAM EST OCVLATA, VT CONTRA DEBEAS TE AVT NON MOVERE, AVT MOVERE OCCVLTE. Quare mentiti alienas perſonas, Rex & Regina, nocte elapſi per poſticum; occultè primum cum nobili vno in Setonias ædes, apertè pòſt, regio comitatu in Dunbarrum caſtrum concedunt. REIPVB SEDITIONIBVS PERMISTÆ NERVOS, NIHIL EST QVOD FACILIVS INCIDAT, QVAM IMPVNITAS SCELERVM. Regina ergò vt viam obſtruat ſceleribus & cædibus, quæ ad communem perniciem videbantur paulò pòſt erupturæ, in hoc receſſu, collectis animis & viribus, nihil habet prius aut antiquius, quàm vt authores Dauidicæ cædis laqûeo legum irretitos vindicet. Conquiſiti ſontes. Mulctati, vnus laqueo, pecunia alter, exilio hic, ille agro, aliâ pœna alius, maxima aut minima, prout quemque maxima aut minima ſceleris contagio infecit. Murtonius, quo nihil habuit Scotia tectius ad fraudem, ingenioſius ad ſcelus, ſe contulit in latebras, vt qui cædis author & princeps præter cæteros erât. Meritò. Nam Dauid tàm erat in omnem reipub. partem intentus, vt quamcunque fraudem conciperet Murtonius, ipſi illa, Dauidis aſtu & arte, efflueret tanquam anguilla inter medios digitos. Etiam adempta huic publici muneris procuratio, & collâta Dauidi. Ex duplici ergò capite erat, cur Murtonius Dauidi mortem cuperet & crearet; vt fautori publicè, vt priuatìm æmulo. Finis eſt quæſtioni, principium clementiæ. Magnum hic nituit reginæ iudicium, quæ quæſtionis ſeueritatem clementiæ ſale tàm commodè temperauit & inſperſit, vt ipſi malefici, exiſtimatores rei bonæ non boni, plus ſtatuerint in ea clementiæ ad deliniendos hoſtes, quam iuſtitiæ ad corrigendos malos. Non debuit ali impunitate improbitas. Statuit ergò Regina exemplum in percurſores. At cùm plurimi, qui erant hac ſceleris flamma

non

non tacti ſolùm, ſed ambuſti, facilè niterentur excuſatione abſentiæ, ſpurius ſcilicet frater, & Comes Argatholiæ, principes illi quidem viri & beneficio Reginæ in repub. magni: eam Regina noluit ſuo iudicio facere iniuriam, vt quos paulò antè poſuit in numero, eos mox omni dignitate exueret. Aggreſſa ergò homines malos bona arte dicit ſe, &, quod cogitarunt, agnoſcere; &, quod fecerunt, ignoſcere. Mentem eſſe & ſemper fuiſſe ſanandi, non perdendi; ſatis iuſtitiæ, è reip. quaſi corpore execuiſſe ſtrumas; clementiæ ſe lumen oſtenſuram illis, grauiſuramque intimis ſenſibus, ſi quos magnos fecerit munere, eos clementia poſſit facere bonos. Promittunt largè & ex larga promiſſione largior ſpes, quàm pro re, & hoc mentium habitu. In ipſa temporis progreſſione Regina vt omnibus euoluat inſpiciendam & perſpiciendam mentem ſinceram, omniſque tegumenti expertem, ſpurium fratrem non ſolùm in gratiam recipit pœnitentem, ſed tanquam ſanguinis communione aſtrictum aſciſcit in ſecretiorum conſiliorum ſocietatem, omnique honore ornat, ſiue conſulat priuatim, ſiue apertè appellet. Etiam maritum ſuum, quem anteà pro merito de cæde in ſuis oculis contra maieſtatem patrata paulò aſperiùs habuit, denuò excipit oculo, oſculo, lecto, ſinu. Ex hac Reginæ clementia ingens fuit materies timoris, ſpurio à Rege; Regi à ſpurio. Nam vnum diù multumque in gratia poſſe eſſe, altero viuo aut non excluſo, timebant vterque, victi ſua mala conſcientia, non Reginæ natura, quæ tàm ſolebat eſſe in tuendo amore conſtans, quàm in imbibendo clemens. Ex ſuſpicione ſunt inſidiæ. Spurius timet, ne Rex aperiret Reginæ, quis baſiliſcus vel illa oua poſuerat, vel pullos illos excluſerat ad necem Dauidis, infamiam Reginæ, periculum reipub. Hactenus ſe ſuſpectum, iam Reginæ notum fore authorem iſtarum turbarum, facileque

excluſum iri loco graduque, vt apertæ perduellionis reum. Regi enim, alijſque, qui à rege erant, faces præferebat ipſe ad iſta, quæ erant; ad illa, quæ timebantur fore, ſi malis conſilijs, hac conciliatæ amicitiæ luce, locus non fuiſſet obſtructus. Nunquam ſanè ſpurius ſperabat, fore regi à tanta perulantia reditionem in gratiam. Contrà rex ægrè ferre, honorem illum habitum ſpurio: hac repub. hac gratia, hac luce honoris, in qua verſabatur hoſtis omnium bonorum certiſſimus, ſe diù non poſſe ſtare, aut certè difficulter poſſe: periculo & difficultati ponendum eſſe obicem, ipſo veſtigio; niſi velit aut certò mori, aut perpetuò viuere in cura. Ad curam timoremque augendum illud pondus erat, quod rex cognouerat ingenium ſpurij inquietum, inſidioſum, verſatile. Regina in hac conſiliorum communione cum ſpurio & frequenter, & familiariter inita, ſi exprobraret malas inſidias, mala conſilia contra maieſtatem, immò ſi leuiſſimo ſigno oſtenderet, ſe cognoſſe, ex qua ſentina illæ labes fierent: ſciebat rex ſe capite, aut certè capitis inſidijs luiturum ſilentij violati pœnam. Se viuo, ſpurium non eſſe tàm nulla, aut firma fronte, vt audeat negare; anteuertendas inſidias, niſi velit inſidijs vt certò peti, ſic citò perdi. Hæ curæ vtrumque ira coquebant, vt nihil propius eſſet in dies, quàm vtrique ab vtroque certa nex. Rex, prope eſt, vt moriatur præ timore, cura, ira. Adit ergò Reginam, narrat periculum, quod ſibi, illi, ſolio, patriæ impendet ab iſto perduelle, niſi auferatur. Non credendum fronti, anteà fallaci, non menti anteà inſidioſæ; non linguæ, anteà mendaci; non ſanguini anteà proditori. Si putet fortaſſè, fratrem, ſpurium timeat labem hominum inſidiantium benè natæ ſoboli, vtpote cum cuius honore illorum dedecus comparatum ſordeſcit magis. Se noſſe illius ingenium. Præ timore, præ odio, præ ambitione non priùs velle, non priùs poſſe quieſcere, quàm diadema

Reginæ

Reginæ capiti detractum ſibi impoſuerit. SPVRIIS SEMPER IVS POTIVS QVAM ANIMOS DEFVISSE AD IMPERIA, NON QVOD OMNES SPVRII MALI, SED QVOD TOT MIRACVLA, QVOT BONI REPERIANTVR IN NATVRA, VEL EX INFERNI FÆCE, VEL EX CÆLI FACE OMNES, INSIGNITER SCILICET BONOS, AVT INSIGNITER MALOS. Deindè hunc ſpeciatim ſpurium, quantum libarit generoſi ex patre rege, tantum hauſiſſe inſidioſi & ficti ex matre ſaga, totam vitam dedita peſſimis artibus. Cauendum, ni auferatur; auferendum, ne caueatur. Se ſtatuiſſe eius mortem; per vitam ſuam, per maieſtatem regni, per religionis ſanctitatem, per omnia bona, quæ ſunt, eruntque Reginæ, rogare, ne quid dicat, pugnet contrà. Regina ægrè ferre hanc mariti mentem, eumque acriùs caſtigare vt ſicarium, qui necem Dauidis nece fratris, quaſi ſcelus ſcelere, conatur cumulare. Si quid litis, lege, non inſidijs, dirimendum; ſi quid ſuſpicionis, humanitate, non ſica euellendum. Addere tandem minas, ſi pergat. Sperabat enim optimæ mentis Regina, ſe negotium priùs compoſituram, quam eruperit ad apertam vim. Interìm vtrumq; amare, illum vt maritum; hūc, vt fratrem. Rex ira, metu, iuuentute præferuidus, modò calere, modò fluere frigidiuſculo ſudore, ſemper calumniari inſidias, fraudem, malitiam ſpurij. Vt in quemq; proximè incidit, ita in eius pectus maximè effundere, quicquid odium, ira, timor dictarunt contra ſpurium; minari mortem, moliri mortem, adprecari ſibi adiutores quoslibet; omnia promiſcuè, vt inconſideratus; impotenter, vt iratus; imprudenter, vt iuuenis. Illi, qui promiſerant manum & operam, vel timentes Reginam optimè iam animatam in fratrem, vel ex fide prodita aucupantes bonam gratiam, aperiunt ſpurio, quid rex aut minetur, aut moliatur. Sat dictum pru-

denti. Timet, ſed tacet. Didicit enim vſu, NVNQVAM COGITATIONES EXITVRAS IN MYSTERIA AVLÆ, SI EVVLGENTVR ANTE TEMPVS, ANTE OPORTVNITATEM VT EX SEMINIBVS TERRÆ SINV COHIBITIS FRVGEM ET MESSEM: SIC EX COGITATIONIBVS OCCVLTIS, ARTISQVE VELO OBDVCTIS EXIRE ILLA MAGNA AVLÆ MIRACVLA. COGITATIONES ENIM EXPRESSÆ PRODVNT AVTHOREM, SVPPRESSÆ PERDVNT HOSTEM. Spurius ergò agere, quaſi nihil vellet agere, fronte & vultu ſuſtinere ſimulationem amicitiæ aduerſus regem magnæ. Quò tectiùs, eò ſecuriùs. Verùm ipſe cùm plus adferret mentis ad conſilium, quam animi ad factum, neque crederet niſi CORCVLIS ſuis, quos habebat malarum artium authores: arte aſtuque vicit à Regina, vt Murtonio, alijſque (qui conſcij necis Dauidicæ, & pœnæ, ſi manſiſſent, præſcij condiderant ſe in latebras) pateret reditio non ſolum in aulam, ſed etiam in gratiam. Nouerat ſpurius, quanti refert, in cædibus habere Murtonios præſentes. Erat Murtonius iſte (vt vno verbo complicem vniuerſam notionem) audaciſſimorum inſidioſiſſimus, inſidioſiſſimorum ſuperbiſſimus, ſuperbiſſimorum auariſſimus, auariſſimorum libidinoſiſſimus. Quale monſtrum? ex quibus vitijs, & inter ſe quàm diuerſis conflatum? alios cohibet aut auaritia à libidine, aut ſuperbia ab auaritia, aut inſidiæ à ſuperbia, aut audacia ab inſidijs. At iſte ita aptus eſt & miſtus ex omnibus, vt æquè ſtupeas confuſa vitia omnia in vnum, atque vnum ex tàm diuerſis factum & conflatum. Ferunt iſti duo ſibi mutuas operas, cerebri, ſpurius Murtonio; lacerti, Murtonius ſpurio. Nam quàm ſpurius in inueniendo catus, tam in aggrediendo ſcelere audax Murtonius.

nius. Murtonij ergò vicariam operam ſupponit ſpurius, vt in nece Dauidis anteà, ſic hoc tempore in regis inſidijs, ſecurus ille animi, & meditans potiùs quàm moliens regi ſuo mortem. Comes Murtonius toto animo & cogitatione intentiſſima defixus in regis necem, alios vocat in ſocietatem ſceleris, magnos illos, qui audeant ſubire; multos, qui poſſint concoquere inuidiam ſceleris. In his princeps Bothuellius. Cùm hoc agunt, vt ſolus agat omnia. præmium necis regiæ promittunt, Reginam ipſam. De vxore, quam habuit Bothuellus, facilè extortum iri libellum repudij. Reginam nihil moretur. Si reſiſtat, cogendam huc minis; ſi annuat, colendam omni officio, vt pulcherrimam orbis. Bothuellus nihil habet priùs, quàm vt prædam hanc, opimam, optimam regni, conſequatur. Etiam omnia quaſi in eius fælicitatem conſpirarent, fluunt ad voluntatem, locus, tempus, opportunitas, miniſtri ſceleris. Illud enim tempus dictum erat conuentui Edimburgi habendo. Hùc confluxerat multa nobilitas, vt in multitudine quà amantium, quà odientium, putaretur cædis ſuſpicio poſſe facilè deriuari aliò. Deinde Rex extra vrbis mænia, morbidus ſcilicet ad ſalubrioris aëris commodam placidamque captationem, hæſit. Bothuellus cum percuſſoribus nocte è caſtello ſurreptat ad Regis diuerſorium, puluerem tormentarium ſpargit ſubditus ædibus Regijs, artem certam conuellendis ſubruendiſque fundamentis. Rumor eſt, mentem & ſpem excidiſſe primùm Bothuello. Volebat enim vi pulueris ſubrutas ædes obterere regem; ſed regem, animaduerſis inſidijs, cum puero correptaſſe in locum ſubterraneum. Bothuellum autem canis & veſtigij indicio inuentos & erutos ſtrangulaſſe. Certior fama, inruiſſe prius ſicarios in cubiculum Regium, occupatúmque, &, interpreſſis faucibus, extinctum expoſuiſſe cùm puero in citimum agrum, quaſi vi pul-

peris iactum in aëra. Quicquid eſt de modo, ædes ſubrutæ, rex interemptus, turbatum in aula. Varius ſermo, horum illum, illorum hunc ſuſpicantium authorem ſceleris. Spurius ſibi cauit à ſceleris, ſi non ſuſpicione, certè flamma. Nam, ſimulato vxoris graui morbo, diem antè ceſſerat aula, quàm rex ſenſerat vim. Hæc ſpurij ereptatio, obtenta velo vxorij morbi, bonis præbuit materiem ſuſpicandi malè de illo. Quò enim magis conabatur pedem exuere laqueo, eò collum induebat magis. Quicquid alij ſuſpicantur & ogganniunt, ipſe in ſinu gaudet, ereptum iam è rebus, qui res illi fecit turbidiores; reliqua ſperabat fore proniora. ſiquidem Reginam, vt fœminam, vt meticuloſam, & impotem conſilij in tantis turbis facilè poſſe indui in laqueum. Huc enim intenta acies, vt Regina ſublata, aut in ordinem redacta, ſpurius ſolium aſcendat, & diadema hæredi intercipiat. Obex illi à Regina viua, & ſolus obex, vel remouendus arte, vel diſcindendus vi. Arte incepit, vt finijt. Erat Bothuellus, vir maximorum ſpirituum, quos ambitionis flamma perpetim alebat. Huic flammæ ſubijciebat ſpurius materiem benè magnam ex ſpe potiundæ Reginæ. Perſuadet nihil impedimenti in vxore eſſe; facilè diuortium impetrari; Reginam coactum iri, ſi repugnet; irretitum iri, ſi propendeat; ſe ſuoſque omnes adfore manu, conſilio, virtute, & ad rem ſanctiùs confirmandam, fidem quemque ſuam teſtari & obſtringere iuramento, ſyngrapha, ſigillo. Bothuellus gratulatus è cœlo obiectam ſibi prædam optimam, optimam orbis, & reputans ſecum potiùs quid vani decoris, quàm quid veri dedecoris, ſudat, alget, vt in amore Reginæ, vt de re regni: nec priùs poſuit modum furori & flagitio, quàm ſe & Reginam ſuſpicionum & legum pedicis implicitos penitùs perdiderat. Prenſat per ſe, per ſuos: ſed per ſuos obtinet, non per ſe. Spurius

enim

enim mentem Reginę pertentat omni arte, quoad ex- pugnarat. Eſſe turbas, ſolam non poſſe compeſcere; eſſe inſidias, fœminam non poſſe excludere; eſſe molem regni, iuuenculam non poſſe ſuſtinere; deindè res turbatas, ſine Atlantis alicuius humeris fore perditas. Quare niſi velit pati extrema omnia, in ſocietatem lecti, periculi, conſilij eſſe aſciſcendum, qui poſſit, qui velit, qui audeat opponere frontem. Huius notæ eſſe Bothuellum, tàm heroëm virtute, quàm ſpecie hominem. Huius virtuti nihil inuium, huius viribus nihil obuium. Si pergat eſſe ſtrepera, nec ſanis conſilijs acquieſcat, ſolam fore, & planè perituram, quia ſolam; quamquàm perituram non ſolam, ſed cum repub. miſerrimè. Regina mouetur facilè reip. nomine, & permouetur in Bothuellij nuptias. Verùm cùm fuerit ille ambuſtus flamma ſuſpicionis de regis nece, priùs ſe cohibituram aſſenſum, quàm TRIBVNAL, pro more gentis veteri, eum declarat purum illius ſceleris. Spurius vrget rem, in qua momentum ſuæ ſpei. Dicta dies iudicio. Obit vadimonium Bothuellus Murtonius Comes, cerebrum manuſque ſpurij, alijque huius ſordis clientes agunt cauſam Bothuellij, quaſi ſuam; immò maiori contentione, quàm ſuam. Nam quod ipſi ſuo nomine vix auſi fuerant tentare, vt publica opinione damnatus publicè pro foro abſoluatur, & à regis cæde integer declaretur, id Bothuellij cauſa, perſtant & præſtant. Regina credens iudicium eſſe ſincerum, nulloq; fraudis tegumento implicitum; quas nuptias cum Bothuello paciſci cogebatur, eas vt publicè ſalutares (hanc ei mentem impreſſit Spurius) potius quàm ſibi gratas maxima regiaq; pompa celebrauit. Hic habet, cur ſeriò triumphet ſpurius. Laqueum enim, quem multos annos nectebat Reginæ perdendæ, eius iam pedi & penè collo induxit. Siquidem has, quæ pactæ, factæ erant, nuptias, ſpargit non eſſe veras nuptias, ſed feralem nuptiarum pollutionem, totique

regno fatalem futuram, niſi vindicetur. Reginam calumniatur tetendiſſe machinationem capiti Regis, claro indicio, quòd Bothuello ſtrauerit lectum, non ſolùm percuſſori mariti, ſed marito etiam alterius vxoris. Hac ſpecie ſceleris fecit quemadmodum Reginæ & Bothuello inuidiam, ſic fucum nobilitati & populo, qui Reginæ partes, quicquid conabatur ſpurius, nunquam videbatur deſerturus, niſi ſceleris aperto indicio, & iudicio. Dunkelij fiunt à Comitibus Murtonio, Atholio, Tillebornio, aliiſque harum partium, coitiones frequentes, & inſidioſæ contra Reginam, nempè vt condatur illa in carcerem, capite deminuatur & ordine regis moueatur. Spurius vt facti non inuidiam ſolùm, ſed ſuſpicionem etiam domi declinaret (turpe enim eſſet illi, quas nuptias ſuaſit & perſuaſit, eas damnare) mentitur momenta negotiorum in Gallia. Proficiſcens, omnia ſua voluit eſſe Reginæ & Bothuellij in tutela & poteſtate. Hac amicitiæ ſimulatione ſtatuit pulchrè ſublitum iri os Reginæ, nihil ſcilicet ſuſpicaturæ doli ab amico tàm affabrè ficto, aut potiùs ab inimico tàm pulchrè tecto. HVIC MONSTRO, TANQVAM ALTERI DOMITIANO, NIHIL EST PERDERE, NISI POSSIT PRODERE. Poſt diſceſſum ſpurij architecti fraudis & ſceleris, illi qui Bothuellium paulò antè purgârunt, purumque cædis pronuntiarunt, indignum clamant facinus, Bothuellium vti, abuti Regina, ſpecie nuptiarum, hominem maximè perlitum regis mariti ſanguine; perpetuam infamiam hæſuram in nomine Scotico, niſi publicum ſcelus publica pœna pietur. Sumunt arma, ſpecie comprehendendi Bothuelli, re vera, vt Regina petatur & perdatur. Nam Bothuellio occultè authores ſunt, ſeſe ſubtrahat periculo, non tàm quòd cupiant benè amico, quam quòd timeant ſecreta aulæ exitura in populum, ſi comprehendatur, ſi tentetur, ſi premætur. Satis illis (hùc enim omnis cura)

Regi-

Reginam credi ream. Non curatur, quàm ſit innocens; ſed vt credatur nocens, id agitur. MYSTERIVM EST AVLÆ, SI NON POSSIS SCELVS, INDVCERE SVSPICIONEM. FACILE HOC VIRIS MAGNIS, QVI SPLENDORE AVTHORITATIS NIXI FACILE PERSVADENT POPVLO, NON QVOD VERE VERVM, SED QVOD SPECIE VERVM. Nihil mirare. Aula aut nihil eſt, aut ſpecies eſt. Fugit Bothuellus, Regina capitur, & in lacum Leuinum, tanquam carcerem, conditur. Multæ hîc calamitates Reginæ, nulla grauior, quàm matrem ſpurij videre, audire, timere violatricem cæli ſcilicet ſagam; contemptricem terræ, ſcilicet meretricem; inſigniter vtramque, ſcilicet impudentem. Nam tantùm abeſt, vt regij nominis aut numinis habeat rationem, vt ſe glorietur fuiſſe Iacobi Quinti veram vxorem, & ex lecto lege recta vincto ſuſceptum ſuum ſpurium. Quæ impudentia? ſpurium ex recto lecto? quæ impudentia? vnius meretricis duos veros maritos, Regem, & Dominum lacus Leuini? quæ impudentia? quaſi ignotum eſſe toti Scotiæ, Porterfeldium ex triuio neſcio quem, huic ſpurio fuiſſe patrem. Facilè patior ſagam, vt Regem mentiatur ſui ſpurij patrem: ſi reliquus orbis Porterfeldium irrideat patrem. Crux tamen Reginæ, crux ſanè longè maxima, hanc timere ſagam, & audire glorioſulam. Multi timebant Reginæ a poculo, alijſque tectis rationibus, quarum hæc ſaga erat artifex. Verùm Deus malitiam anteuertit miſericordia. Nam expectatur inde è Gallia ſpurius, facti, infecti iudex. Multa certè in hoc genere indigniſſima; nihil indignius, quàm ſpurium fore iudicem, accuſatorem, cuſtodem. Spurium legitimæ iudicem? non fert æquitas. Subditum dominæ accuſatorem? non ſinit lex. Hoſtem Reginæ cuſtodem? non patitur ratio. Etſi illi harum fraudum in Scotia architecti omni dimica-

tione apud ſpurium laborarint, vt redeat, nec pulchras oportunitates abſentia aut mora ſua corrumpat: is tamen timens capiti ſuo, à quo omnia illa in Reginam mala deriuata ſunt, ſignificauit apertè, niſi Regina extincta, ſe Scotiam veſtigio non impreſſurum. Iterùm atque iterùm vrgetur tempore, occaſione, Reginæ cuſtodia, potentia amicorum, hoſtiũ infirmitate. Acres hinc viro bono ſtimuli; acriores indè, quòd ſignis non obſcuris oſtenditur, hæc omnia peritura punctulo, niſi redeat; & qui poteſt ſtare ſolus, caſurum cum multis. Poſt hunc nuncium, res illæ omnes promptæ, expeditæque ad iter. In ipſo procinctu, Gallo regi ſanctè promittit omnia, Reginæ cauſa. Primùm ſe nihil omiſſurum, quod ad Reginæ honorem ſpectat. Deinde perduelles quicquid contra Principem, patriam, leges peccarant, ſe vindicaturum, principis authoritate, patriæ voce, legis vi. Pulchrè dictum. Credo, quia ad fraudem. Indicium fraudis, quòd omnia facit contraria, ſed eo obtentu iuſtitiæ, vt putes hunc Catilinam eſſe Solonem. Quare vt colligat apud populum iuſtitiæ bonæque mentis rumuſculum, omnes primùm, quos afflarat ſuſpicionis mala aura de Regis morte, citat, capit, condemnat, vindicat laqueo. Scilicet intereſt reipubl. vt hic tyrannus cenſeatur iuſtus; & cædis regiæ ſuſpicio, quæ in nomine ſpurij altè inſederat, paucorum minutorum hominum ſanguine eluatur. Poſt paululùm ponit veſtigium in ſcelere, quod ſummum cogitarat. Nam Reginam, quaſi ream cædis, partim illicit arte, partim cogit vi, vt regnum, omneque ius ſuum cedat filio, infanti. Mater exuta, infans in cunis, vterque ſub carnifice, aditum faciunt ſpurio ad regnum, quod ſpe iamdiu & animo deuorauerat. Inſcendit ergò hic ſpurius ſolium altiſſimæ ſuę, omniaque permiſcet odijs, litibus, furore, bello, hæreſi, permiſcet & proſtrat. Iſtud iſte ſecutus eſt, & conſecutus ſcelere, quod ſuprà inumbraui, non pinxi. Sed

ſatis

ſatis ad hiſtoriam, ſiue inumbrarim, ſiue pinxerim. Nam duxi & perduxi, perpetuo orationis filo, Scotiam ad hæreſim, hæreticos ad defectionem, Regem ad mortem, Bothuellum ad exilium, Reginam ad carcerem, filium infantem ad extremum diſcrimen, ſpurium ad clauum regni, te (mi Petre) rei ad torius perfectam cognitionem. At fortaſſe dixeris, te facilè credere ſcelus ſpurij, & quòd ego dixi, & quòd ſpurius fecit, & quòd res nexa ex re veritatem defigeret in oculis rectis. Tamen cùm hæretici oculis limis videant, ſcelusque falſis indicijs deriuent in Reginam, non æquè apertè, ſed magis ſubdole; velles momenta rationum, quibus illi nituntur, ſua quodque librili à me pendi. Velles hoc? ſed cur, quæſo, velles? eſſe, quod dixi, omnes æquè vident, atque tu, etiam hæretici. Quanquàm non videant hæretici, aut certe negent ſe videre. QVEMADMODVM LVCI EST INDICIVM, QVOD NON VIDET NOCTVA: SIC MOMENTVM EST VERITATI, QVOD NEGET HÆRETICVS. Tamen vt ſit plena & plana defenſio: videamus, quid mentiantur contra hanc tàm apertam veritatem.

Quid tandem aduerſarij? REGINAM INTERFECISSE MARITVM, Grauiſſima ſanè, ſi vera, infamiæ; ſi falſa, calumniæ obiectio. Maritum occidi, eſt grande, ſed non ſine exemplo ſcelus. At maritum à Regina occidi ita eſt grande, vt quàm ſine exemplo eſt nouum, tàm ſit à perſona incredibile. Nam obijcitur iſtud illi Reginæ, qua nihil vidit aut ECCLESIA firmius, aut SOL pulchrius. Certe extremi ſceleris fœditas in hac firmitate & pulchritudine vix inuenerit ſedem. Monſtra vultuum pariunt monſtra ſcelerum, Nerones matricidia, filicidia Medeæ. Sint ſanè hæc arguta potius quàm vera: illud ſaltem verum, hunc maritum huic Reginæ fuiſſe in medullis. Amatum ab amata occidi, quis credat? adde tàm tenere amatum, vt Regina huic flori ætatis, aut elegantiæ corporis poſtpoſuerit

id,

id,quicquid habuit orbis aut ſummum,aut pulchrum. Reginis non deſunt proci Reges,aut ſi deſint aliquando,huic certè Reginæ deeſſe, nullus putes, niſi vis, te putem nullum. Nam ita dicit,ita facit,ita tuetur, vt in ore ſuadam,in opere Deum, in oculo ipſam venuſtatem,aut ſi quid venuſtate venuſtius, putes inſediſſe. Tamen hęc oris,mentis,fortunæ pænè diuinitas,contemptis regibus,hunc Baronem voluit maritum. Audes dicere,perfide,non amatum? amatum,vt pulcherrimum à pulcherrima, vt Stuartum à Stuarta, vt ſpem ſtirpis ab illa,in qua id quicquid eratStuarti cognominis, ſine hoc marito eſſet interiturum. at LITES ORTAS HVIVS AMORIS INTERSECVISSE FILVM. Quā benè mones lites ortas, tàm malè narras interſectum filum. Potuerunt quidem lites efficere,vt Regina non æquo oculo aliquandiu maritum inſpiceret; ſed vt amoris conſtantiam, nixam altiſſima ſeruandi cognominis radice, deponeret, nunquam ſanè lites potuerunt efficere.In oculo non æquo quid ponis, ſtulte, momenti? maritus occidit Secretarium ſuæ vxoris:aut veriùs ſubditus ſuæ Reginæ conſiliarium occidit. Molliculus ſis & delicatulus, qui huic ſceleri ne iniqui quidem ocelli pœnam velis irrogari. Quid? quòd violauerit grauidam? in cœna? in ſacro receſſu? cùm infamia? non ſine periculo vitæ? cùm carceris pœna? Ex media Stóa Seneca, aut certè Stoæ vel pater Socrates, vel æmulus Cato, iniurijs tàm multis, tàm magnis, iuſtiſſimè moueretur: vt iniquus ſis, fœminæ de his ſi non largiaris iniquum ocellum. Extra ocellum fuiſſe lites,aut litium ſemen odium, in contrarijs argumentis apertiſſimis, nemo vnquam dixerit. Nam poſtquàm maritus non obſcurè intellexerat, grauiter à ſe peccatum in Reginam ſuam,alioque tendere necem Dauidis, quàm quò referebant aduerſarij: obſtupuit, ſe circumuentum; indoluit Reginam violatam: vtrumque tàm vehemen-

ter,

ter, vt ſtupori & dolori non priùs poſuerit modum, quam Regina finem ſignificationi iræ. Iſta ſignificatio anxiè magis, quàm diu expectatur. Regina enim ex ſupplici voce, quā ſanxerant lachrymę, agnouit potius circumſcriptionem aduerſariorum, quàm mariti malevolentiam, agnouit, inquam, & ignouit. Ignouiſſe verè & ex animo, tàm aperta ſunt indicia, vt ex indiciis ſi iudices, huius litis quaſi flabello excitatam iudices altiorem amoris flammam, dicasque, vt Cicero, ſed veriùs quam Cicero Reginam maritum anteà dilexiſſe, nunc amaſſe. Primùm poſt cædem Dauidis cùm inſidiæ ſuo maritiq; capiti non imminerent tantum, ſed incumberent; ſuum à mariti capite caput nō ſeparauit, ſed nocte ſibi illum adiunxit, aut veriùs ſe illi præiuit, fugæ authorem, viæ ducem. Si voluiſſet mortem mariti, è media morte cur eripuit? nulla ſuſpicione potuit conſequi, quod eam feciſſe non magna ſpecie veritatis, ſed infamiæ periculo magno aduerſarij probare tàm operoſe cōtendunt. Deinde illa profectio Glaſcoenſis, tàm longa, tàm impedita, inſidiis tàm opportuna, nonnè loquitur aperte, quid illa illum amauerit, & quantum? In ædibus enim Setoniis, vbi omnia Reginæ arcta, & Regi omnia tuta, digreſſus hic ab illa Glaſcoam, tentatur morbo. Morbi rumor cùm primùm increpuit, volat ad illum Regina, habetque plus penſi, ad quem volat, quàm quo periculo volat. Regina hic ſi quam omiſerit partem vxoris aut in viſendo diligentis, aut in curando fidelis; patior facile, me non pugnante aut repugnante, vt conficias, hanc non amaſſe. At cùm omnia fecerit ſumma, etſi (quæ es inuidia) non facile conceſſeris amaſſe, tamen illud non defugies, quin quem quaſi mortuum curatione Regina excitauerit, eum fateare ab ea non delectum inſidiis. Edimburgi etiam nullum amoris ſignum? nullum, ſi non ſummum. Cænat, prandet, dormit, viuit apud illum, tanta amoris

non

non ſignificatione ſolùm, ſed conſtantia & candore, vt hanc aut conſtantiam mouere gradu, aut candorem contentiunculæ litura inſpergere ſe poſſe, Morauius ſpurius, & reliqui huius ſententiæ prope dixeram ſentinæ homines penitus deſperauerint. Non amauit Regina? vtinam aut non amaſſet, aut hunc amorem frontis ocelliquè velo, punctulum modo temporis, fabre obtendiſſet; non eſſet certe nunc, cur aut defenderemus, Reginam non ſuſtuliſſe, aut doleremus, Regem ſublatum. Nam quòd Regina ſeriò amauerit & conſtanter: hæc cauſa hoſtibus, viam morti eius & quæſiuiſſe, & inueniſſe.

AT NON FVIT ELATVS CVM HONORE: Quàm malitioſe, non maledice tantùm? maledice quidem. Nam corpus mariti, balſamo ſparſum & odore, idem tumulus, qui Iacobum eius nominis quintum Reginæ patrem, tenet & tegit. Comitatus magnorum non magnus, vitio accuſatorum, qui rariores exibant fortaſſe, vt Reginæ ex raro funeris comite facerent inuidiam. Quamquam magnæ notæ plurimi honeſtabant funus. Iudices, Comites, Barones, omne genus nobiles. Si quòd ſpurius aberat, eiuſque factio; huiuſce rei cauſa interpreteris funeri abfuiſſe honorem, quidni exclamem; malitioſe? nam ſponte abſentes & iudicio, domi huic iam argumento hoc captabant momentum. Cæremoniæ quidem erant pauciores quàm prò Reginæ aut voluntate, aut religione, ſtatæ tamen & ſolennes ad præſcriptum hæreticorum, in quorum tunc poteſtate, omnia regni, & omnes. Sanxerunt enim legem grandi pecunia, ne quis efferatur ritu Romano, atque authores inprimis Reginæ tunc erant; nè, hac conſilij & mariti ſolitudine, committeret in hanc legem. Conatum fore; ſi quid conetur, fortaſſe fruſtrà; certe cùm periculo, & tumultu. Non multò ante illos ipſos Principes, qui aderant, extuliſſe nobiliſſimos ſuos parentes nullo ritu, nulla cæremo-

nia;

nia; vt iam videatur ſolenne, nihil in funere ſolenne; & ritè id factum inſtitutoque maiorum, quod ſine ritu inſtitutoq; maiorum fiat. Quidni parêret conſilio? certè erat nec res tanti ingenij, nec Regina tantuli iudicij, vt non potuerit inuenire hanc viam tegendæ fraudis, ſi quam concepiſſet. SED SIMPLICITAS ET INNOCENTIA, TVTÆ IPSÆ SVA SPECIE, ID TANTVM PECCANT, QVOD NIHIL PECCANT. Regina ſi feciſſet fraudem, rexiſſet fraudem. Sed innocens quas res ſimpliciter cogitat, eas ſimpliciter cùm faciat; hac cauſa vincitur fraudem non feciſſe, quòd accuſatur non texiſſe. Iſtis nebulonibus quid feceris? Reginam, ſi maritum efferat cum cæremonia, damnant legis violatæ; mariti verò occiſi, ſi non efferat. Iſtis, inquam, nebulonibus quid feceris? ſatis feceris, ſi nebulones & dixeris, & contempſeris. Profectò momenta videntur illis deeſſe, qui has minutulas nugas ornant, vrgent, perindè ac ſi rationes eſſent è medio ſenſu petitæ. Si quid eſſet, quod ſpeciem præferret veri, quis cincinnus induceretur dictionis? color quis? AT VIDETVR ALIQVID ESSE, QVOD REGINA SCRIPSERIT AD BOTHVELLIVM. Aliquid ſcilicet, Reginam ſcripſiſſe ad ſubditum. Videamus totam rem. Regina accuſatur dediſſe ad Bothuellium literas, PLENAS MYSTERIORVM. Quorum? Obſcura omnia, & inuolucris verborum ita complicata, vt ne Oedipus quidem elicueris. Id tamen certum ex illis, agi Regis necem. Quomodo certum, ſi obſcurum? IMPERAT REGINA BOTHVELLIO, VT RES SVAS CVRET. Nugæ. Quaſi nulla Reginæ cum ſubdito Principe res eſſe poſſit, quàm de mariti nece, præſertim in tot motibus, tot litibus, tot belli futuri ſcintillis quotidiè emicantibus. Produnt profectò cauſæ ſuæ infirmitatem, qui ex his apiculis tàm obſcuris, tàm incertis, tàm nulla vi nixis, aucupantur ſuſpicionem necis aduerſus maritum cogitatæ. Omnes cauſæ angulos

excuſſerunt,funus,cæremonias, amorem: id tandem ſummum poſt ſummam exquiſitamque diligentiam,quam adhibuerunt in cauſa, inueniunt, Reginam imperaſſe ſuo, vt RES SVAS CVRET. De nece nulla litera,de inſidijs nulla,de modo nulla, de præmio nulla: tantùm id erat, vt BOTHVELLIVS CVRET RES SVAS. Res ſuas? fortaſſe domeſticas. Res ſuas? probabiliter publicas. Res ſuas? profectò lites potiùs ſopiendas publicè, quàm priuatim inſidias marito nectendas. Multæ res Reginæ cum ſuis Principibus, multæ & graues,quas diuerſas diuerſis,vt in Reip. prima cura,dum committit, nihil mirum, ſi Bothuellio, Principi,bellatori, fido miniſtro, pauculas commendet,idque tàm frigidè, vt, verbo quaſi fracto, potiùs contentionem illi poſſit labefactare, quàm excitare. VT CVRET RES SVAS. Quàm negligenter? ſi eſſent verborum fulmina,ſi anxia cura, ſi timoris diligentia, ſi præmij mentio, ſi iræ expreſſio, ſuſpicarer hoc tragicum, quod obijcitur. Sed in leuicula iam voce, eſt certè, cur non timeam iſtud tragicum, ſed illud potiùs comicum rideam, de certa venatione, de noua veſte, de equo albicundulo, aut de minutulis rebus, quæ ſunt peruulgatæ mulierum. Si ſint hæ literæ, quid,quæſo,indè conficitur? id tantùm, vt orbis veſtram execretur impudentiam. Sed an ſint,videamus. Sunt,literæ. A quo? a Regina. Ad quem? ad Bothuellium. Quo tabellario? Douglaſio. At iſte Douglaſius,qui obtenditur,in ipſo ſpiritu, quem funis præcluſerat,tàm ſuam innocentiam teſtatus, quàm ſpurij fraudem deteſtatus,publicè confirmat, has literas nec ſibi datas,nec ad Bothuellium datas, nec à Regina datas. Datas tamen volunt à Douglaſio, quicquid iſte negat in illo penè tempore, quo habiturus erat Deum iudicem & vindicem mendacij,ſi mentitus fuiſſet. Ad Bothuellium verò fuiſſe datas, aut à Regina, minus probabile. Ad Bothuellium datas? ædeeius nomen.

Ad

At ſuppreſſum. A Regina datas? oſtende huius nomen. At nullum ſubnexum. Magnum certè momentum in literis iſtis, quæ præferunt nullum nomen, aut eius, ad quem eunt; aut huius, à qua veniunt. Vnde, quæſo, norunt ad Bothuellium fuiſſe? dixerat tabellarius. Immò negarat in ipſiſſimo mortis imminentis articulo: quo maximè tempore, intererat huius animulæ, non negare verum. A Regina fuiſſe ex manu penitùs pugnant, ſed non penitus expugnant. Non fuit ſanè Regina tantulo ingenio, vt quæ expreſſerat manum, putaret ſe tutam, quòd ſuppreſſerat nomẽ. Quid multis? de manu rideo, non refello. Nam qui à Regina Scota ſteterant Eboraci in Anglia, hoc commentum tàm aperto indicio refutarunt, vt horum mirer frontem, iterùm obiectantium manum. Siquidem in ijs, qui odium profitebantur ad Reginæ necem, vnum maximè fuiſſe oſtendebatur tàm gnauum gnarumq; alienæ manus mentiendæ artificem, vt nullus fuerit character aut tàm tortus, aut tàm elegans, quem ille imitatione non facilè effinxerit. Ad fidem obiecerunt duas literas alias de alia re, quas iſte artifex ad Reginæ characteris imitationem expreſſerat tàm ſcitè, vt Regina iuraſſet ſuas, niſi cognouiſſet alienas. Huius notæ has fuiſſe literas, cùm omnia, quæ ſuprà diximus, loquuntur: tùm illud manifeſtiſſimè, quòd hæ literæ non priùs exierant in manus oculosque hoſtium, quàm coniecti erant, Bothuellius in fugam, Regina in carcerem. Ad momentum veritatis. SVBTEXITVR à BVCCANANO ET HAS LITERAS ET CARMEN GALLICVM NON INELEGANS, ET TRIA PACTA DE NVPTIIS CVM BOTHVELLIO, ſingula ſcripta Reginæ manu, tanquam monumentá amoris, quo illa in Bothuellium impotenter ferebatur, in arcula neſcio qua, quæ ex literis indicibus erat aliquando Franciſci regis Galliæ, fuiſſe commendata fidei Balfurij, qui id temporis arci Edimburgenſi in-

erat, & præerat. Balfurius iſte, equeſtris ordinis vir, inimicitias cum Bothuellio ſuſceperat capitales, quas nec tempus ſopire, nec Bothuelij fœlicitas, vt videbatur, ſumma poterat intra lineam tenere. Rei geſtæ faciunt fidem omnes circumſtantiæ, literæ, carmen, pacta, nuptiæ, arcula argentea Regis Franciſci, & omnia commendata Balfurio, hoſti Bothuellij. Alia eſt circumſtantia, & ea certè princeps, Buccananum dixiſſe. Quem hominem? nitidiſſimæ vitæ ter adulterû, conſtantiſſimi animi bis apoſtatam, Hiſpanicæ inquiſitionis ſemel ſtigmaticum, poëticæ fidei ſemper profeſſorem. Os impudens. Bothuellium, hominem tuo iudicio non omninò plumbeum, in rebus vel communibus tàm hoſpitem, vel periculoſis tàm ſolutum, vt capitis res commendaret Balfurio? hoſti ſuo? hoſti reginæ? hoſti Reip. eiuſdem generis eſt, quòd Regina in ſingulis literis monuerat, eas comburendas; Bothuellius tamen quaſi contemptor Reginæ, Deæ ſuæ, vt finxit poëta, curabat ſeruandas. Seruandas? immò efferendas in vulgus, cùm committeret Balfurio, ad Reginæ dedecus, & ſui capitis diſcrimen. Malos non accuſat, qui ſic diſputat, ſed inſanos, & hoc nomine liberos, quia inſanos. Nam eodem inſaniæ gradu ſubſiſtit, & Regina, quæ ſic ſcribit; & Bothuellius, qui literas plenas periculi ſic ſeruat. Quid ſeruat? PRODIT SE IVDICI, QVI HOSTI SVVM SCELVS COMMITTIT. Non videtur poſſe cadere aut illud in prudentiã Reginæ, quam Buccananus pingit; aut hoc in fraudem Bothuellij, quam omnes norunt. Hactenus vanitatem literarum initiſi; nunc niſi refello aperto indicio, feciſſe patior, puteris aut ſummam reginæ prudentiam feciſſe naufragium ad ſtultitiæ ſcopulum, aut inſignem Bothuellij prouidentiam ſubſediſſe in ſtuporis fundum. Quodnam iſtud tantum, aut tanti? ſermo ipſe, quem mentiuntur authores, alius alium, de iſtis literis. Buccananus vnas vno, alio loco multas ſcribit

fuiſſe

fuiſſe Reginæ ad Bothuellium literas de nece mariti. Quo modo multas, ſi vnas tantùm? quo modo de nece mariti, vbi nec necis, nec mariti mentio? id Reginæ ad Bothuellium, vt curet res ſuas, hoc ſcilicet habet myſterij, vt Bothuellius necet Darlæum. Fuerunt hi nebulones antea Euangelici tantùm, nunc etiam Prophetæ, dùm ex alio verbo alium ſenſum eliciunt, aut potiùs ex nullo verbo mentem vident, & mentem intimam. Quicquid Buccananus exaggerat literas, carmen, pixidem argenteam, amorum delicias, alias nugas: ſpurius in Anglia, alijque ab hac parte qui ſteterunt coràm iudicibus contra Reginam, vnas tantùm illas Reginæ literas oſtendebant, in quibus erat formula illa certè grauis, vt BOTHVELLIVS CVRET RES SVAS. Fateor quidem potuiſſe hæreticos æquè mentiri plurimas, atque has vnas, ſed neque Deus paſſus eſt horum impudentiam longiùs exire extra gyrum rationis: neque iſtis tantum fuit frontis, facere; quantum Buccanano, dicere. Beza, in famoſo libro Gallicè ſcripto tres dicit literas. Hæreticus ille, quiſquis collegerat res geſtas quatuor Regum Galliæ fratrum, ponit ſpeciatim octo, textas ea arte, vt & modus, fœminam; & verba, delicatulam; & ſententiæ, inſano ſudantem & ſubantem amore loquerentur. Etiam mollicula omnia, baſiola, deliciæ verborum, ocelli, aucupia temporum & locorum, ioci, aliæ amantis, quaſi amentis, fractæ malèq; cohærentes formulæ, intextæ his literis probabiliter affingerentur fœminæ, niſi Regina hæc tàm diuina eſſet fœmina, vt ſi, poſita dignitatis perſona, animum appuliſſet ad has ſordes, potuiſſet certè eas ea verbi floriſque venuſtate inſpergere, vt has ſordes hoc artis colore illitas facilè putares gemmas. Norunt omnes, qui Reginam norunt, quo erat ingenio, ſi inueniret; quo iudicio, ſi necteret; qua arte, ſi illuminaret: vt ipſe Buccananus carmen amatorium, quod in pixide finxit fuiſſe, non pu-

tarit ſe poſſe decorè Reginæ tribuere, niſi concinnitatis præconio commendatum. Quare etſi epiſtolæ, quę ab hoc furcifure Caluiniano ſparſæ ſunt ad inuidiam, videantur fœminæ cuiuſdam, quòd languidulæ; tamẽ aperto indicio non videntur ab hac fœmina factæ, quòd ineptè ſine decoro fictæ. Satis refelli literas. Vt apertius refellam, dic, quot literas? Buccananus primò vnas, paulò pòſt multas, ſemper vnas vel multas in argentea pyxide, aliquando vnas ſolas, ſemel etiam vnas cum carmine. Quò pergis, furcifer? vnas, multas; vnas ſolas, & vnas cum carmine; quò pergis furcifer? at quàm multas? Bezæ tres, octo alteri. Vnas iſtas & multas, multas tres & multas octo, quis non credat nullas? nullas certè, ſi varietatem; nullas, ſi veritatem; nullas inquam Reginæ huius, ſi ſpectes modum expertem modi, tritum hunc quidem fœminæ, ſed non tritum huius fœminæ. Etiam videte illas vnas literas in maximorum principum aulis toties oſtentatas, multorumque manibus tritas. Tritas, non obtritas? video vel mendacium, vel miraculum. Si mendacium negent, non eſt certè, cur Caluiniani ampliùs irriſione ludant induſium D. Virginis, nec obtritum manu, nec tempore exeſum. Maius certè miraculum, manere ſine labe & obtritu literas quàm induſium; quò difficilius ſeruare linum, quàm chartam, maximè cùm tactio quàm ibi religiosè cauetur, tàm hîc ambitiosè quæritur.

De nuptiis, quas Regina cum Bothuellio verbo publicaq; cæremonia ſanciuit, non putant poſſe inueniri exitum defenſionis. NAM EST PROBABILE, QVÆ NVPSIT PERCVSSORI, CVM EO ANTEA DE MARITI CÆDE STATVISSE. Eſt quidem hîc ſpecies, ſed ſpecies tantùm. Quanquàm in hac ſpecie videre impudentiam accuſatorum. Cuius enim impudentiæ eſt, quas nuptias ipſi ſuaſerunt & perſuaſerunt, eas poſteà vocare in inuidiam & odium omnium? cuius

rei geſtæ hiſtoriam fusè ſuprà perſecutus ſum, eccam ſummam. Spurius cùm videret, niſi Regina vocata in odium gentis & orbis, diadema & ſolium non facilè intercipi, nec probabiliùs poſſe conflari odium, quàm ſi Principem maritum curet percutiendum, Reginamque percuſſori elocet vxorem, hæc duo conficit arte & aſtu, quem ſuprà dixi. Suadet nuptias, nuptias cum Bothuellio, cum Bothuellio propter turbas. Iſtas enim turbas nec tantas à fœmina, nec tàm ſparſas à peregrino marito poſſe poni aut componi. Reſidet in Bothuellio ſuſpicio mariti percuſſi? purgant publicè. Habet vxorem Bothuellius? ipſiſſima vxoris mater vrget & extorquet libellum repudij; hoc ſcilicet obtentu, quaſi arctior Bothuellio cum filia ſanguinis communio veras nuptias prohiberet. Tantumne? extra repudium certum, qui illi Reginæ à ſpurio adiuncti erant, omnes illud incertum inculcant & inſculpunt, vxorem Bothuellij repudiatam iam diu reddidiſſe naturæ, quod naturæ debuit. Poſt fidem à ſuis factã repudio & morti vxoris Bothuellianæ, ſpurius vrget, eſſe periculũ, niſi nubat Bothuellio. Si nubat, eſſe pacem ab inſidijs, pacem à turbis. Etiam literis eam ſpurius rogat, quarum ipſi exempla Eboraci coram Angliæ mandatariis oſtenſa verberarunt frontem. Propendet optima Regina in Bothuellium; & quòd ſpurius ſuaſerat, & quòd probabilia ſuaſerat, & quòd, omnibus penè conſentientibus, ſuaſerat. Ipſa tamen ne videatur, non conſultis alijs ſuis, feciſſe temerè, cogitat ciuitatulam, quam vulgus dicit Kirclifren, vt quos habuit intimarum cogitationum participes, eos cogeret, & ſententiam de nuptijs ſuam diceret, alienam exquireret. Spurius verè veritus, ne horum conſilio, ſi conferrent capita, nuptiæ excluderentur: author eſt Bothuellio, vt Reginam intercipiat, neque eam patiatur conſulere de eo, quod extra omnem diſceptationem è re videtur &

priuata, & publica. Bothuellius, globuſque perduellium, inceſſa media via, occupant Reginam, ſegregant à ſuis, ducunt in caſtrum Dumbarrum, minantur, illiciunt, produnt, perdunt. O fraudem. Non eſt fraus? hoc ſi negetis, eſtis tam ſine fronte, quam cum fraude. Iſti ſcilicet boni æquique homines ante nuptias cur non vindicant Reginam? ante nuptias cur non perſequuntur Bothuellium? res clara, & in medio poſita, vt ex nuptijs pactis, factis, ipſi poſſint ſibi argumenti aliquod pondus contra hanc Reginæ innocentiam & ſimplicitatem confingere. Non norant forte cædem à Bothuellio factam. Tam norant, quàm ipſi ſe, ſinguli aut actores aut authores cædis. Sed proditoribus non ſatis commodum erat, videri noſſe, quoad Reginam eadem pedica, qua Bothuellium, implicuerint. Vix erat implicita, ecce rumores, ecce clamores, ecce arma contra Reginam, vt confectricem cædis mariti. Id clamant clari indicij, quòd nupſerit percuſſori. Quid hic exagitem primum? impudentiam? an ſtultitiam? vtramque profectò ita ſumma, vt neutram ſtatuam primam aut vltimam. Credunt‑ne hi perduelles orbem aut poſſe aut velle credere, eos, potione quadam Circæa factos tam piè animatos in manes Darlæi, vt quem viuum oderunt & inſidiis ſemper petierint, eum mortuum velint vindicare? non Darlæus, lector, vindicatur, ſed petitur Regina, vna omnium, quæ viuunt, aut victuræ ſunt optima & Catholiciſſima. Quæcunque nectunt perduelles, necem Dauidis, parricidium Darlæi, nuptias Bothuellij, omnia in Reginæ caput nectunt, & pro ſolio ſpurij; cum hac ſola ratione ſtatuerint poſſe & Papam ſubiici, & Caluinum erigi. *Rei totius veritas* videtur defixa in oculis omnium, etiam eorum, qui oblique tuentur, ſiue texuerim hiſtoriam, ſiue vanitatem refellerim: tamen vt ſit res tota non planior, ſed plenior, quædam diſpeſcam membra, quaſi punctula, quorum filo ſeria-

um

tim ducto ſine vlla circuitione perueniatis in totius rei cognitionem.

1. Repuiate cum animis veſtris ambitionem ſpurij, ſeminarium omnium cædium, quæ gloriæ Scotorum hac ætate notam ſi non magnam, certè aliquam inuſſerunt. Ambitio ipſa tenetur oculis: in cædibus, quæ ex ipſa exiſtunt, cæci eſtis? Reginam primò apertè tentat, abſtineat à nuptijs, Stuartis regnum addicat, id eſt, ſibi. Cùm videt nihil profici verbis, vi, quicquid eſt obicum, conatur diſiicere. Quatuor erant obices, nuptiæ per ſpem prolis, Dauid per conſilium, Darlæus per inuidiam, Regina per florem exiſtimationis. Impediunt nuptiæ? ſuadet diuortium. Conſilium Dauidis? extinguit. Reginæ exiſtimatio? obterit. Darlæi vides inuidiam, non vides exitum? ſi illa in ſpurium, iſte certè ex ſpurio. Nam poſita ambitione; cauſa eſt, cur ſpurius tolleret Darlæum, qui ambitionem extra oras ſuperfluentem quodam inuidiæ vallo coercuit. At non videtur interfeciſſe, quòd abſens fuit.

2. Immò quòd abſens fuit, claro indicio vincitur interfeciſſe. Nam ea fuit ſpurius vel perſpicientia mentis, vel animi vtilitate, vt quam perduellionem præſens machinatus eſt, eam abſens ſemper per ſuos conficeret. Deletur Dauid Sabaudus, authore, ſed abſente ſpurio. Regina damnatur cædis Darleanæ, ſtatuente, ſed abſente ſpurio. Omnia machinatur, ita vafrum; nihil nectit, ita minutum ſemper habuit humique viliter ſtratum animum. Vndè tàm eſt certum, abſentem nexuiſſe; quàm eſt clarum, præſentem iſtius cædis filum texuiſſe.

3. Certum inquam iſtud, vt clarum. Nonne clarum? ſpurius ſedecim horas antè cedens vrbe, quàm edita cædes, Harriſium Baronem id temporis non ſatis æquum Principi Darlæo, prehenſa manu, iubet bono eſſe animo, bona ſpe; Ante ſolem proximum, Dar-

læum Principem extinctum iri. Harriſius iſte, vir erat magnæ authoritatis, prudentiæ multæ, & conſcientiæ tàm nitidæ, vt partes ſequeretur ſemper veritatis, non hominum, adulationis fucum nec paſſus ab infimis, nec faciens ſummis. Fuerunt in Darlæo Principe, quæ diſplicebant huic, næuuli ſcilicet iuuentutis, non firmæ voluntatis peccata, efficiebantque, vt vultu verboque ſignificaret Harriſius ſæpè, Darlæum illis moribus poſſe eſſe ſibi Principem, non amicum. Qui erant à ſpurij partibus, multis ſermonum veſtigijs odorati hanc Harriſij in Darlæum mentem, cum ſtudiosè conabantur in conſilij & ſceleris ſocietatem traducere. Audijt potiùs quam iuuit; tacuit veriùs, quàm probauit conſilium, nunquam ſperans malis conſilijs bonum exitum. Verùm cùm videt ſuccedere peſſimis, eorum obſiſtit conatibus, maluitque à Regina ſtare iuſtè, quàm à perduellibus vtiliter. Quare ſecutus Reginæ ſuæ, id eſt, Dei & religionis partem, in Anglia cum periculo vitæ, coram mandatarijs, quos Angla collocarat Eboraci iudices totius cauſæ & vindices, obiecit ſpurio, alterique Comiti, accuſatoribus, eos cædis Darlæanæ præſcios, conſcios, affines fuiſſe: ſanctéque confirmauit, Reginam ita eſſe integram ab huius ſceleris labe, vt nunquam vocata fuerit in ſocietatem conſilij. Iſtud ſe ſcire, participem ſcilicet omnium conſiliorum, quæ hac de re in Cragmillero caſtro inita erant. Ad veritatis momentum vocare & prouocare ſpurium, aut quemcunque illius factionis Principem, ad ſingulare certamen. Hanc enim ſe veritatem non ſolùm dicere coram Angliæ mandatarijs, ſed ſanguine etiam & periculo capitis, tanquam ſigillo, conſignaturum. Hunc huius conſcientiæ, virtutis, veritatis Principem virum viuere adhuc ſpero, & victurum ad veritatis teſtimonium: vt mirer hæreticos perduelles, hac veritatis luce, poſſe contrariũ mentiri. Quanquàm quid mirer? perduelles ſunt, qui omnia dicere;

hæretici, qui omnia contra Catholicisſimæ Principis caput audent facere.

4. Velim hîc recolatis & colatis Dei prouidentiam non hominum prudentiam. Spurius cùm omnes captaret occaſiones odium necis in Reginam deriuandi: tùm illam vltimam ingreſſus eſt, vt percuſſoribus promitteret ſceleris veniam, ſi Reginam publicè arceſſeret cædis. Publicè inquam, non priuatim, & publicè eo articulo, quo ducti ad crucem coram tota concione expectabant Deum iudicem Dicti, Facti. Iſtud ſi quis percuſſorum conſtanter faceret, fore veniam ſceleri; ſi non faceret, pœnam. O prouidentiam, Deus non patitur hos, quos hæreſis odiumque Reginæ imbuit omnes, ſuffragari ſceleri. Primùm quòd lumine naturæ viderant in tàm perfida voce eſſe grande ſcelus; deindè, quòd in ſumma ſpurij perfidia ſtatuerent vocem hanc fore ſibi in terris vltimam, teſtem ſcilicet ſceleris, perpetua flamma vindicandam. Qui verò poſteà à ſpurio defecerant intimarum cogitationum conſcij, hanc fuiſſe ſpurio mentem, faſſi ſunt, vt hos miſeros ſpe illiceret ad teſtimonium falſi, carnificibuſque mandaret, vt teſtimonij falſi vltimam vocem & peſſimam multarent fune. His mos Anglis Scotiſque Caluinianis ſolennis, Dei iam prouidentia, fuit excluſus.

5. Excluſus profectò à Deo. Siquidem ſpurius vt ſuſpicionem ſceleris, quàm verè non potuit, arte deriuaret aliò, vrget mortem funemque illorum, qui operam attulerant ad cædem. Id indè, contrà quam cogitarat, conſecutus eſt, vt ſuum ſcelus, Reginæque innocentia, proponerentur in quodam orbis theatro. Ioannes primùm Hepbornus, Bothuellij familiaris, & ſceleris miniſter, in illo ſpiritu, quem vltimum edidit, vltimum hauſit, Deum implorans vt ſceleris molliſſimum iudicem, ſic vocis illius iuſtiſſimum teſtem, coram concione tota, quinque plus minus mille ho-

le hominum, apertè confirmabat, Reginam de cæde mariti eſſe extra noxam, ſpurium eiuſque ſocios innexos ſcelere, ſuam quemque fidem manu ſyngraphaque obſtrinxiſſe, vt quiſque in Darlæum Principem proximè & commodiſſimè inciderat, ita ſe eum certiſſimè trucidaturum. Hanc ſe ſyngrapham ſæpè vidiſſe apud Dominum ſuum. Poſteà verò conſilio communi itum eſſe in eam ſententiam, vt cædes, cædiſque præmium REGINA, eſſet penes Bothuellium. Ioannes Haius Tallovvenſis, Poureius, Dugglifius, & Paris, ſceleris omnes miniſtri, dixerunt in eandem ſententiam, eodem mortis articulo, Deo iudice & teſte eadem ratione vocato inuocato, concione tota ſtupente, iiſdem denique omnibus clariſſimis circumſtantiis.

6. Circumſtantiis planè clariſſimis, niſi clariſſimis velis clariores. Eccas illas. Syngraphæ illius, qua aſtricti perduelles coierant ſocietatem ſceleris, vna pars octopartita, quæ alteri octopartitæ reſponderat, venit poſteà in poteſtatem Reginæ; & mandatariis Angl æ Eboraci, cùm ſederent aduerſus Reginam Scotam accuſantibus perduellibus, obiiciebatur, tanto pudore & Anglorum, qui ſederant iudices; & perduellium, qui ſteterant reſtes: vt quicquid poſteà diceretur, eò nihil videretur fractius. Nam hæc pars, ſpurii & coniuratorum præferebat fidem, manum, ſigillum, omnia tàm exquiſitè, vt hi Caluiniani non carnifices, ſed canes niſi cum fronte exuiſſent conſcientiam, nunquàm viderentur contrà aut poſſe, aut velle hiſcere. Altera pars octopartita incurrens in manus Regis filii, qui iam ſedet ad clauum Scotiæ, ante ſex plus minus annos creabat Murtonio Comiti necem. Is enim alter à ſpurio, tàm aperto indicio agnoſcens peccatum, & ſperans Regem in condonanda patris morte crudeliorem, quàm ſe inferenda: tandem quam ſceleris culpam non potuit negare apertam, nec deprecari crudelem,

lem, eius meritiſſimam pœnam, gaudente Scotia, Deo & Reipublicæ pependit. Quod ipſi authores ſcelus fatentur ſuum, quaſi in oculis omnium poſitum: illud, tàm firma fronte non ſunt aduerſarij, vt Reginæ obijciant ita putæ huius ſceleris, vt hoſtes ipſi viui, morituri confirment immunem.

7. Immunem etiam confeſſione Bothuellij. Iſte enim priuatum mentitus conceſſerat in Daniam, expectaturus quaſi in portu rebus turbidis mitiorem fortunæ auram. Verùm perſona planè Regia, animuſque etiam in aduerſis præferens maius quiddam & altius, quàm quod ipſe mentiebatur, hominem ex fortunæ ſimulatæ tenebris inuitum, atque adeò negantem extraxerunt. Cognitus tandem partim vultus ſerenitate, partim indicio mercatorum capitur, Regiſque iuſſu vitam obſcuram & non ſatis pro perſona lautam in carceris ſolitudine multos annuos egit, & tandem exegit. Iſtud cui rei? carcerem Bothuellij vide Reginæ theatrum, & ipſam mortem teſtem innocentiæ. Siquidem Rex Daniæ pro communione ſanguinis & familiæ, quæ illi perpetua eſt cum Regibus Scotis, cùm ſæpius minis illecebriſque conatus fuerit exprimere à Bothuellio veritatē, tùm in mortis articulo aggreſſus hominem per Dei paulò pòſt futuri iudicis obteſtationem, vt liberam iam tandem vocem mitteret indicem innocentiæ, aut ſceleris Reginæ iudicem futuram: poſt multum variumque ſermonem de multa variaque re, quem cum Rege habuit, libera altaque voce, ita ſibi Deum propitium precabatur, vt Regina cædis Darleanæ nec conſcia, nec præſcia. Regi de percuſſore pergenti quærere, Murtauius ſpurius, inquit, orſus eſt, Murtonius duxit, ego cædis huius telam pertexui. Literas relinquit ſcriptas, modum præſcriptum, locum notatum, coniuratorum numerum, fidem datam, alias res indices cædis & authorum. Moritur Bothuellius, viuit Danus, Princeps veſtrarum partium

partium teſtis. Bothuellium amentia percitum exhalaſſe ſcribit Buccananus: ſcilicet vt populus credat has voces fuiſſe inſaniæ, non veritatis. Hunc SOLEM, Buccanane, quid obducis caligine? homines etſi taceant, ſinantque veritatem hanc, velo vel mendacij vel tenebrarum obtentam latére: Deus tamen profert eteam in lucem aſpectumque hominum. NAM QVOS NON POTEST TENERE INTRA VIRTVTIS ET OFFICII SEPTA, EOS ERADICAT A STIRPE, OSTENDITQVE MAGNIS EVENTIBVS, POSSE MALOS STARE, SED STARE TAMEN, VT ILLVSTRIVS CADANT AD POSTERITATIS EXEMPLVM. Vidit iſtud anterior ætas in Neronibus & Domitianis, vidit, inquam, & ſtupuit. At noſtra ætas non neceſſe habet, vt, replicatis maiorum annalibus, Neronum & Domitianorum monſtra eruat tàm iuſtè cadentium, quàm crudeliter ſtantium: ſatis habet documenti ex ijs, qui, Reginæ Scotæ, ſanctiſſimæ fœminæ, ſolium, ſcelerata ambitione, & prenſabant, & occupabant. Nam florem dignitatis, quo iſti ſibi videbantur fœlices, præcerpſit ſemper quædam mortis glacies. Verè glacies. Nam cùm viderentur durati iſti ad omnia & in omnes: leuicula non tempeſtate, ſed pluuia ſoluebantur, & in nihilum ibant. Iacobus ſpurius quantus? immò quantulus? vix inſederat ſolium ſuæ Principis, & ecce tibi hominem cadentem, cadentem in quam ſclopo, cadentem à ſuæ religionis homine, cadentem inter ſuos, eo maximè tempore, quo hic flos videbatur nunquàm poſſe cadere. Subiectus in huius locum Matthæus Lenoxij Comes, & ſclopo mox tranſuerberatus id tantum reliquit poſteritati, vt de illo dicat, REGNASSE. Comes Marriæ maluit perire, quàm non regnare. Quia ſecutus eſt, regnare: aſſecutus eſt, perire, & perire non inſidijs, ſed è cœlo, repentina morte. Murtonius quartus regij ſolij tyrannus, cùm ipſi ſibi viſus fuerat ſupe-

ſuperaſſe omnem aleam, poſituſque potiùs contra fortunam, quàm extra fortunam, OSTENDIT AVLIS, FORTVNAM POSSE CONTEMNI, NON POSSE VINCI. Nam filius Rex Murtonium perdidit, quòd patrem Regem Murtonius prodidit. Omninò hæc Reginæ ſedes hactenùs ſemper fatalis fuit iniuſtè poſſeſſori, paſſaq; eſt ſe inſederi potiùs ad exemplum, quàm ad triũphum. Duas maximè res celebrauit antiquitas, vt in feſtas poſſeſſoribus, EQVVM SEIANVM, ET AVRVM THOLOSANVM. Tertiam adiiciet iam poſteritas, SOLIVM MARIÆ STVARTAE, Reginæ Scotæ. Nam recepit, & deleuit omnes, quicunque iniuſtè inuolaraat. Alij Reginæ ſolijque violatores, alia morte interierunt, miſerrimè omnes: vt quàm illuſtre, Deum ſtare à Regina, tàm ſit certum, Reginam ſtetiſſe à Deo. Hic finem volebam pegiſſe orationi, & quod in his meis negotijs nimis longa, & quòd omnem probationis numerum habuiſſe videtur: tamen vt quàm vides accuſatores innexos ſcelere, tàm Reginam videas puram ſuſpicionis, ſubijciam non ad momentum, (nihil enim poteſt priori oratione adferri conſtantius) ſed ad cumulum, Reginam probabilitèr non dico non interfeciſſe, ſed ne voluiſſe quidem, ſi potuerit, interficere.

Parricidium eius generis eſt, vt antiquitas, tàm vindex mali, quàm boni mater, nunquam crediderit illud poſſe cadere in vitã, quam longa malitia non fregerit, & ad extremam turpitudinem perpetuo vitij callo indurarit. Nam quemadmodum à virtute in virtutem eſt itio, ſic à vitio primo in vitium extremum non eſt prolapſio, ſed gradus quidam eo ordine (ſi tamen in vitio poſſit eſſe ordo) vt qui leuioribus vitijs, tanquàm principiis, conſuetudinem non prætexuerit, is in parricidiis, ſacrilegiis, aliiſque extremis ſceleribus veſtigium nunquam ponat. Poteſt aliquandò ita & infirmitas aliquid deſignare in ipſo veſtigio temporis, quod, ſubſidente caloris vi, animus in rationis

orbem

orbem redeuns vellet non deſignatum, & quaſi retextum: ſed qui ad extremum ſcelus, anteà nitidus & probus attulerit deliberationem, mentiſque plenam rationem, eum ætas nec antiqua dixit, nec noſtra vidit. Quale iſtud eſt, quod obijcitur; Reginam longo conſilio mariti capiti tetendiſſe & induxiſſe inſidiarum laqueum. At cui reginæ obiectum? illi, cuius maieſtatem Gallia ſtupuit, clementiam Scotia vidit, conſtantiam Anglia colit: illi, quæ toties credidit perduellibus, quæ toties pepercit hoſtibus, illi, illi inquam, quæ cùm ſpes regni Anglicani ſuique proponebatur, ſi à Romana eccleſia deficiat ad Caluinum, reſpondit. TANTI SIBI NON ESSE REGNA TERRÆ, VT PRO HIS OMNIBVS VNVM VELIT ADDICERE REGNVM CÆLI. Quæ toties pepercit hoſtibus, tam repentè factam immanem, vt necet maritum? quæ tàm religioſa auaritia quærit regnum cæli, vt hoc vno vendat omnia regna mundi; ita puncto mutatam, vt hoc vnum iam prodigat de nece mariti? Francia hoc non facilè credat, quæ teſtis educationis, teſtis clementiæ, teſtis totius vitæ, apertè fatetur aduerſarios alioqui lynceos: in eius vita quicquid ad reprehenſionem captarent, inueniſſe tamen ſemper, pot ùs quod amarent, quam quod reprehenderent. Non ſolebat Regina ſcelera huius generis; & iſtud certè non debebat. Fertur in pulchritudinem? nihil Darlæo venuſtius. In ſuauitatem? nihil lepidius. In ſanguinem? nihil in Anglia altius. In robur? nihil eo valentius aut volentius, flore & ſucco hominum. Cognomen etiam Darlæo cum Regina commune, vinculum amoris tàm arctum, vt illud ſanè nulla vis aut lis videatur poſſe diſcindere. Sæpius Reginæ in ore fuit, has nuptias è cœlo fuiſſe, vt quibus ſeruaretur mundo Stuartorum cognomen. At mens mutata. fingo mutatam. Quomodo tamen mutata ad necem? non certè videtur. Nam ſpurius, aliique, qui ſpurio ſtudebant, poſt

cædem

cædem Dauidis quicquid ſuadebant repudium, nunquam tamen Reginæ perſuadebant. Immò excuſabat Regina errorem potiùs mariti, quàm malitiam, & errorem ex nimio amore. Facilè poſſe reduci intra ſepta rationis, & officij, qui egreſſus eſt potiùs iuuenis propter leuitatem, quàm propter odium maleuolus. Nihil flexibilius hac Regis mente, ſi audiat malos, mala; bona, ſi bonos. Id ſe iam vidiſſe. Non dubitare ex hac ſtirpe fore florem regni ad bonum eccleſiæ, & Scotiæ ornamentum. Si de repudio eſt difficilis, de morte erit facilis? iſtud minus credideris, ſi intelligas Darlæum Principem fuiſſe maritum Reginæ, ſed maritum ſubditum. Nam cùm fecerat hæc illum maritum, non excluſerat ſubditum. Illud fuit voluntatis, hoc iuris. Vnde quicquid erat honoris habendum Reginæ, id hic ſubditus præſtitit, pileum, locum, ſermonem, obſeruantiam, omnia: hinc vt oſtenderetur, authoritatem omnem in Regina reſediſſe. Darlæum autem ſocium fuiſſe lecti, ſolij miniſtrum. Si quid in rempublicam aut Reginam admiſiſſet grauiùs, huius ſceleris pœnam potuiſſet Regina à Darlæo ſi non tàm æquè, certè tàm iuſtè, quam à quocunque alio perduelle repetere. Quid non dico rationis, ſed frontis habebant aduerſarij, obijcere Reginæ cædem Darlæi? interfecit? potuit illa iuſtè ſubditum, de iuſta cauſa. Nulla profectò poteſt eſſe cuiquam Principi iuſtior cauſa necandi ſubditum, quam ſi maieſtatem violet. Quis violauit, ſtultiùs ne dicam, an grauiùs, quàm Darlæus? irreperat in ſacroſanctum maieſtatis adytum, viam munit perduellibus ad omnia furore proſtranda, ſecretarium eius ſupplicem extrahit ad cædem, ferit, & feritatis teſtem pugionem relinquit in eius corpore altiſſimè impreſſum. Si neget Darlæus necem, pugio affirmat: ſi affirmet, in violatorem maieſtatis ſententiam capitis potuiſſe Reginam dicere, non eris tàm proditor, vt neges. Potuit ſanè

iuſtè in ſubditum, ſed æquè non voluit in maritum. Quam potuit capitis pœnam irrogare ſubdito, eam cùm largiatur marito; clariſſimo facto oſtendit, malle ſe amari clementem, quam timeri potentem. Quem potuit apertè ſubijcere legum laqueo & ſecuri, eum voluit occultè aggredi? maluit inſidijs, quam legibus? cùm periculo, quam liberè? cùm infamia, quam per iuſtitiam eum tentare? quem potuit ad iuris normam exigere, & non voluit: voluit, quod non debuit, & difficulter potuit, ſupplantare aſtu? Reginam profectò faciunt ream ſtultitiæ, non maleficij tantùm: vt facilè vides, quàm longè iſta abeſt ab iſto ſtupore, tàm eam longè abfuiſſe ab ipſo ſcelere. Quicquid in hac cauſa video, Reginæ video innocentiam: maximè quòd ſe putarit tutam apud hoſtes, & hoſtes in armis. Perduelles poſtquam putarant Reginam inuidia iam cædis laborare apud omnes, capiunt arma. Illa vt reprimat impreſſionem, ſi qua facta; cogit, quicquid erat in Scotia, aut bonorum aut amicorum. Aduerſarij veriti potius periculum, quam reueriti maieſtatem, allegant ad Reginam, qui ſupplex & genibus aduolutus ſuadeat pacem, exoret veniam, promittat fidem, ſi ſe ſegreget à Bothuellio, apertè percuſſore mariti. Regina poſt exprobratam perfidiam, primum purgantium, poſteà perſequentiũ Bothuellium, annuit illis pacem, ſi illi adferant obſeruantiam. Suorum enim ſibi vitam eſſe antiquiorem omni honore. Quam poteſt, verbo ſanguine ſuorum; nolle ſe ſancire pacem & quietem regni. Promittit, qui legatus erat, omnia. Exercitum illa ſuum dimittit, ſeque nudum, ſoloque nomine & innocentiæ conſcientia munitam credit hoſtibus. In re tàm ſeria id erat ludicri, quòd legatus Bothuellium prehenſum manu, paululumque à Regina ſeiunctum monet, ſubducat ſe. Bona fide, nullum ſecuturum, aut perſecuturum. Hinc liquidum eſt, arma ſumpta, non contra Bothuellium, ſed contra Reginam.

Nam

Nam Bothuellium cùm poſſunt capere, dimittunt: Reginam cùm non poſſunt vi tenere, irretiunt fraudis pedica. Stultè, non inſidiosè tantum, Buccananus hos perduelles ſæpè vocat vindices parricidij publici. Quos vindices? Bothuellium faciunt miſſum, notum parricidam; Reginam verò ſuo priuatim iudicio immunem, nullo publicè iudicio damnatam primùm fallunt promiſſis, deindè includunt, & indigniùs habent, quàm vlla aut gens ſubditum, aut barbaria hoſtem. Ne putetis me exaggerare ad inuidiam, & non tàm dicere, quàm maledicere: indignitatem ſubditorum in Principem, quam nulla ætas vidit, exprimam ipſiſſimis Buccanani verbis. Regina pacta cum Kircadio, vt reliquus exercitus ſine noxa abiret, ad proceres cum eo venit, tunicula tantùm veſtita, ea- « que vili & detrita, ac paululùm infra genua demiſſa: & « à prima quidem acie non ſine priſtinæ reuerentiæ in- « dicijs recepta, cùm ad ſecundam aciem perueniſſet, « concors ab omnibus clamor ſublatus eſt, vt meretri- « cem, vt parricidam cremarent. Erat in militari quo- « dam vexillo depictus Henricus Rex mortuus, & iu- « xta filius infans, vindictam parricidij à Deo expoſ- « cens. Id ſigni duo milites inter duas haſtas diſten- « tum, quoquo ſe verteret, ob oculos ei obijciebant. « Ad hunc conſpectum, animo linquente, ægrè, ne ex e- « quo caderet, ſuſtentata eſt: ſed refecta nihil de priſti- « na animi ferocia remiſit. Tandem ſub noctem, po- « pulo vniuerſo ad ſpectaculum effuſo, Edimburgum « intrat, facie ita puluere & lachrymis oppleta; vt luto « conſperſa videretur. Cùm verò lachrymabunda, per « feneſtram in publicum proſpiceret, & concurſus po- « puli eò fieret, nec deeſſent, qui hanc ſubitam fortu- « næ mutationem commiſerarentur, vexillo, quod diximus, ob oculos expoſito, ſtatim occluſa feneſtra, ſe intrò proripuit. Hactenus Buccananus. Non putabam eſſe in rebus nedum in Britania noſtra, mitiſſi-

morum vt fructuum, ſic ingeniorum, matre, monſtra ſubditorum tàm immania, niſi tu de tuis, Buccanane, iſta ſcriberes. Perfidoſné hos, qui Reginam; an perditos, qui fœminam tàm inhumaniter & immaniter tractarunt? illa veſtis vilis? illæ lachrymæ? ille puluis oculorum imbre coactus in lutum, nihil mouerunt? Maieſtas Regia, nulla eſt hæreticis. Volunt contemnere maieſtatem, & conterere Regiam, ſi poſſint. Maieſtatis profectò extremè contemptæ ſignum ſuſtulerunt altiſſimè, cùm vexillum illud Reginæ oculis quaſi obtenderent. Obtenderent tantùm? obtenderent, inquam, ad mortem, & mortem tàm crudelem, vt ad maiorem crudelitatis vim expromendam ſæpiùs intra paucas horas ei & mortem inferant, & vitam ſeruent: Nam, dolore obiecti vexilli, moribundæ vitam ſæpè reficiunt, vt cùm poſteritas legerit hos Reginæ dediſſe viuam mortem, poſſint ſcribi diciq́ue ad miraculum immanes. Contra artem eſſet, monere Reginam à viliſſimis nequitiæ & libidinis mancipijs appellatam meretricem. Iſtud enim etſi tale ſit, vt nulla cruce poſſit piari: tamen ludus eſt & iocus, præ vt reliqua immanitas, quam ſuprà pinxi. Si fuiſſet fœmina ex medio vulgo, ſi maritum verè interfeciſſet, & maritum non ſubditum, ſed regem: tantamné immanitatem huic immanitati nunquam ſe credidiſſet Regina, niſi innocentia & ſimplicitate, quaſi quibuſdam Vulcanijs armis, tecta & munita. Nam mens conſcia ſceleris timuiſſet, turbaſſet, cauiſſet omnia, etiam à bonis. Verùm Regina, tàm libera, quàm nihil conſcia, putat ſuam innocentiam & apud perfidos tutam, & apud immanes immunem. Sed hi ex Caluini ſchola perduelles, qui ſic audent facere, quid non audent fingere? aut veriùs qui ſic audent fingere, quid non audent facere? quicquid tamen fingunt aut faciunt, Deus miraculo penè teſtatur orbi, eos tàm improbabiliter fingere, quàm

impiè

impiè facere. Nam cùm Reginam captam, omniq́ue iniuria vexatam condidiſſent in caſtrum ſeptum lacu Leuino, à milite inſtructum, & fidei eius, qui erat ſpurio ex matre frater, commendatum (vnde nulla pænè ſpes expediendæ Reginæ) Deus tamen oſtendens caſtrum, lacum, militem, fidem, omnia poſſe vinci ob innocentia, eam pueri tantùm vſam conſilio & auxilio, adſeruit in libertatem. Omnes clamate, hoc miraculum, monumentum eſſe innocentiæ, tàm certum, tàm clarum, vt ad Dei opus ſuam quiſquam opẽm cupiat adferre. Qui enim in Scotia ſtudebant Reginæ, cogunt militem, ſuique corporis oppoſitu liberam potiùs quàm liberatam (Caluiniani enim perſequabantur) conabantur defendere. Gallus eam ad ſe elicit literis, Angla ad ſe. Non deerant etiam in Scotia, qui ei omnia promitterent regia apud Hiſpanum. Illa tamen freta innocentia, maluit ſequi blandula Anglæ, quàm aut Hiſpani regia, aut Galli amica. Angla enim, blanditijs aptè compoſtis & artis quaſi emblemate vermiculatis, per viciniam, per ſexum, per ſceptri communionem, per ſanguinem rogat, vt in Angliam diuertat. Nihil tutius in tanta vicinia; nihil liberius apud ſororem, in Galliam traiectum impeditum, in Hiſpaniam incertum. Si veniret, promittere auxilium; ſi non veniret, interpretari contumeliam, intereſſe omnium Principum, vt hæc perfidia ſubditorum vindicetur. Hoc exemplum, ſi impunè eat, graſſaturum ad commune incendium omnis regni & regis. Facilè inuentum iri in omni vita, quod perfidi ſubditi prætexant cauſam belli ſuſcipiendi contra Principem, maximè fæminam, patentem inſidijs. Regina Scotiæ non tàm ſecuta delicias has verborum, quàm certam rationem, cogitat Angliam. Alibi omnia tutiora, hic omnia honoratiora. Apud Gallum aut Hiſpanum iri contemptum hoſtes ſuos, apud Anglam auditum iri: ſeq́ue hac ratione,

etiam hæreticæ iudicio, libertam liberatamque facilè perduelles compreſſuram, & à ſtirpe eruturam. Denique ſe hoc facto probaturam fidem Anglæ hactenus ſine cauſa ſuſpectam, conglutinaturamque amicitiam arctius, quàm vt poſſit vlla hoſtis fraude diſſui aut diſcindi. Quod innocenter cogitat, infæliciter exequitur. Quanquam velim hic cogitetis, ſolam innocentiam potuiſſe aut ſic cogitare, aut ſic exequi. Cùm primùm venerat Scota in Angliam, habita erat non inclementer. Sed non multò pòſt miſſa in carcerem octodecim annos pertulit tot inſidias, tot iniurias, tot perfidias, tot ſententias, quot certè poſteritas vix credat aut fœminæ à fœmina, aut Reginæ illatas à Regina. Hic tamen non poſſum me tenere, quò minùs exclamem, ὦ πρόνοια. Nam ipſe carcer eſt illi & theatrum virtutis, & teſtis innocentiæ. Anglos enim, alios illectat, alios conuertit, alios confirmat ad fidem catholicam. Audiui à quodam, qui à Regina hac Romanæ eccleſiæ primum lac inſuxerat, eam, quoties ageret rem eccleſiæ, locutam quodam quaſi ore Dei, atq; orationem ita veſtijſſe, non flore, ſed Spiritu, vt Deum quoties diceret, toties auditori imprimeret. Rectè ergò carcerem iſtum, dixi theatrum illi virtutis. Vide iam teſtem innocentiæ. Angla mittit Eboracum, ciuitatem citimam finibus Scotiæ, quoſdam ex prima ſua nobilitate, qui Scotos & perfidos accuſantes, & fidos excuſantes audirent: quaſi rebus vel dubijs fidem, vel indubijs finem vellet facere. Id Scotiæ Regina ab Angla multis precibus & literis (nam coràm colloqui Angla octodecim annorum ſpatio nunquam paſſa eſt) vix tandem elicuit. Anglis mandatarijs illæ partes impoſitæ erant, vt poſtquam perduelles capita ſuarum probationum poſuerant, veritatiſque aliquam ſpeciem induxerant, mox ex rebus quæſita occaſione miſcerent omnia, contenderentque, vbi accuſationis clara lux, ibi excuſationis nullam vim. Nihil propiùs, quàm hâc

frau-

fraudem ſucceſſiſſe. Nam qui miſſi erant ab Angla, ita rumoribus ſuſpicionibus imbuti & impleti erant, vt anticipatam ad iudicium adferrent ſententiam de ſceleribus Reginæ Scotæ. Formam aūt inquiſitionis inſtitutam fuiſſe, non vt audiretur vtraq; pars, ſed vt, ſimulatione iudicij obtereretur altera; & Galli, Hiſpani, alij requirerent potius iuſtitiam, quàm formā iudicij. Verùm exciderunt contraria omnia. Nam Angli poſtquā audierunt leuiculas perduellium rationes, & eorum, qui contra à Regina erant, defenſiones: qui anteà Reginæ Scotæ exiſtimationem inceſto ore polluerunt, ij poſteà ægerrimè tulerunt hanc innocentiam, aut perfidorum rumoribus, aut iniquorum iudicijs fuiſſe ſubiectam. In hoc iudicio, Thomas Hauartus, Norfolciæ Dux primas tulit, ſiue nobilitatem ſpectes, ſiue odium in Reginam Scotam. Tamen poſtquàm vidit in inuidiam vocatam huius Reginæ virtutem, quæ videbatur omnem inuidiam ſuperatura; exarſit, quantùm odio Scotorum perduellium, tantùm Reginæ Scotæ amore. Vnde partim ſuo ductu, partim alieno inductu, hanc vehementiſſimè petebat & expetebat vxorem ſibi. Nihil credibile, hunc tantæ potentiæ, tantæ prudentiæ, tantæ gratiæ Principem, quantum Anglia hac tempeſtate non habuit, tàm cupidè expetiturum illam vxorem, in qua cognouerat inſediſſe aut violati lecti, aut occiſi mariti labem. Et hic certè cognouit, ſi quis hominum. Nam audiuit, & penitiſſimè aduertit, quicquid accuſabatur, aut excuſabatur, primùm inimicus Scotæ de ſuſpecto ſcelere, poſteà amator de cognita virtute. Hæc cognitio, & ex cognitione nata affectio Norfolcio pepererūt necē. Angla enim Ducem iſtum, quaſi nuptias cum Scota, hærede Angliæ, initurum, inſcia aut inuita Angla, accuſant damnantque capitis O ſcelus Caluinianum, Qui necis Norfolcio, ijſdem nuptiarum fuerunt primi ſolique authores. Tantulum eſt iſtis, ludere de capitibus

Principum. De Norfolcio Duce id tantum ad nos pertinet, quòd ei innocentia Reginæ Scotæ tàm probè fuit cognita, & tàm intimè amata, vt quandiu caput corpori,tàm diù cordi amor adhæſerit. Satis multa,immò nimis multa. Nam quicquid diximus, tàm eſt clarum, vt quod Angli tenent animis, id omnes iam exteri oculis & manibus. Non vrgeo coniecturas, quòd Regina non debet,clementiſſima non vult, fœmina non ſolet edere ſcelera huius generis. Mitto, quòd noluit audire voces,ſuadentium repudium. Taceo, quòd potuerit in Darlæum iure animaduertere, vt violatorem maieſtatis, potuerit inquam & noluerit. Tranſilio,quòd ſe credidit hoſtibus armatis,cùm armata potuerit illos mittere ſub iugum. Silentio obtego tanquam velo, illud Dei magnum miraculum, quo ſe ex lacus Leuini periculis expedierit. Non dico crudelitatem Anglorum iudicum ſubmiſſam in quendam quaſi amoris cultum. Nihil repeto ſimplicitatem, qua putabat plus apud Anglam poſſe ſanguinis communionem ad mirandam innocentem,quam maleuolentiam hæreſeos ad euertendam Catholicam. Has,inquam,coniecturas nec dico,nec vrgeo, ſingulas,fundamenta, omnes, firmamenta probandæ innocentiæ. Fruſtrà abdo me in hæc aſyla. Audiuiſtis Hepburnum, Paridem, alios in ipſo vitæ extremo actu exoluentes Reginam, ſpuriumque huius ſceleris nexu implicantes. Audiuiſtis, ſpurium ipſum,pegentem Darlæo certam noctem, finem vitæ. Audiuiſtis Harriſium Baronem, virum rectiſſimi & erectiſſimi ingenij,teſtantem & deteſtantem ſcelus ſpurij Audiuiſtis ſyngraphæ octopartitæ, quæ perduelles aſtringebat ſocietati ſceleris,ambas partes teſtes contra hoſtes. Audiuiſtis victimam Bothuellij vocem iudicem ſceleris, quod erat à perduellibus; & indicem innocentiæ,quæ erat in regina. Audiuiſtis cæteras circumſtantias,tam certas,tàm claras, vt, ſi alias coniecturas

corrogarem, perindè facerem, ac qui in aperta ſolis fronte lucis ſibi ſubſidium ex ſtellulis obſcurè emicantibus vellet mendicare. Angli & Scoti, perfidiſſimi, hi inſidiatores, illi proditores ſanctiſſimæ Reginæ, fruſtrà accuſant: cùm Dani Principes, qui Bothuellij vltimum ſpiritum exceperunt, apertè loquantur maiorem eſſe perfidiam & crudelitatem horum, qui Reginæ affingunt; quàm illorum, qui Regi intulerunt necem. Quid ergò reſtat? vt orbis quàm clarè videt, tàm certò eradicet hanc perfidiam Caluinianam. Quid hanc lernam diutius ſinat, labem Eccleſiæ, lucem virtutis, regum mortem? ego verò ſic ſtatuo, non poſſe Caluinum & reliquum orbem ſimul diu ſtare. Quò contentiùs rogo Anglos meos, vt cauſam iam tandem ſuam ſegregent à Caluino, malintque ſtare cum reliquo orbe, quam cum peſte Caluiniana cadere. Nam Caluinum proximè abeſſe ab extremo caſu & occaſu, faciunt, vt augurer, Caluinianus proiectè audax, Catholicus piè repoſcens vindictam, Deus extremè iratus, mundus denique nauſeans ſuper cibum iſtum. In hoc tàm certo & cito caſu, vos, Angli mei, ſtabitis? ſcilicet ſoli extra orbem, & Caluiniani ſine Caluino. Deus pro ſua in peccatores charitate conni- “
uet, vſque dum vocet. Vocati ſi in naturæ viſco leuius “
hæreant, vrget; ſi gratiæ flamini & flumini proteruius “
obſiſtant, punit; ſi in peccati fundo altiſſimè inſide- “
ant, eradicat. At iam diu vos vocauit Deus in exem- “
plo maiorum, quid expectatis, vt vrgeat? viget in exi- “
lio & martyrio veſtrorum, quid expectatis, vt puniat? “
punit in odiis & timoribus domi natis, foris alitis, “
quid expectatis vt eradicet? ſatis iam ſæuiſtis in pue- “
rum & adoleſcentem; in virum & fœminam; in laicum & ſacerdotem; in nobilem & ruſticum; in ſubditum & reginam; in omnes hos veſtros, & in hos, quia veſtros; & in veſtros, quia cultores Eccleſiæ & Dei, ſatis certè ſæuiſtis. Supra, quod ſæuiatis, docuit

Caluinus? ſuprà Reginam? Reginam veſtram charitate, non veſtram iuriſdictione? fortaſſe expectabit vos Deus nouos Gygantes, ſinetque, ſcelus ſceleri, quaſi gradum gradui, connectentes excitare nouam turrim Babilonicam ad medium vſque cœlum, vt habeant ipſi cœlicolæ intra ſuos fines, quod videant & horreant, horreant & contrà pugnent; pugnent, & eijciant, extremum peccatum. Redite, Angli mei, ad Deum; aut perite per Deum. Tertium nihil eſt. Quod ſi fruſtrà vos appellem, Deum contemnentes, & quicquid vſpiam eſt diuini, pro veſtra virili eradicantes: te, Deus Optime, appello, vt horum facies & mentes impleas confuſione. Nam hac ſiue facie, ſic moriuntur, vt putent ſe viuere; ſiue mente ſic pereunt, vt putent ſe vincere. Quid ago? amor me gentis abripit extra oram, nec ſinit cogitare, quàm tibi promiſerim omnia breuia, ſed Angliæ quàm debeam omnia larga. Tu tamen, ſi te norim, non tàm iraſcêris importunitati, quàm hanc charitatem amabis. Vt autèm ames, in duarum vocularum quendam quaſi nodulum ſubnecto omnia,

VIVE, VALE.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE